UNIVERSITARIA
R. BIBLIOTECA ALESSANDRINA
C
e
33
ROMA

METHODVS

DOCTRINAE CIVILIS,

Seu

ABISSINI REGIS HISTORIA.

AVTHORE R. P. ADAMO CONTZEN
E SOC. IESV, SS. Theol. Doct.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Kinckium, ad Insigne
Monocerotis.

ANNO M. DC. XXVIII.

SERENISSIMO
PRINCIPI AC
DOMINO,

D. MAXIMILIANO,

SACRI ROMANI
IMPERII

ARCHIDAPIFERO, ELECTORI,
VTRIVSQVE BAVARIÆ
DVCI,
Domino meo clementiſſimo,

FElices pace ac bello ſucceſſus, propitij dona numinis, Europa orthodoxa tibi, Sereniſsime Princeps Elector, meritò gratulatur: ego verò ne ſolus deſim officio, inter voces, plauſusq́; & quod palmariũ reor, affectus bene fauentium, nouum de longinquo munus adfero, Abiſsinum Æthiopiæ regem magnum. *Opus*

mole contractum, exemplis eminẽtium virtutum, & argumento fœcundum, nec, ſi rerum geſtarum precio æſtimetur, regum oculis indignum. Etenim quamuis priuatorum facta præclara ſuſpicere, nõ ſit regum, quippe ſua miniſteria arbitrantur, regiam tamen virtutem, in excelſo faſtigio collocatã, ex æquo priuati Principeſque admirãtur. Ad Serenitatem porro tuam quaſi alterum Abiſsinum, libellus ille fidentior, ac lubentior accedit, quòd inſignia facta, quæ in illo dudum vita functo, & victo poſt fata liuore, laudantur, in Maximiliano etiamnum viuo mundus admiratur, commendatq́; eoque impenſius, quod ſine culpa, quæ in Æthiope reprehenſa fuit, ſincera atq́; integra in moribus tuis perſeuerent. Magna in illo laus fuit diu cultæ, & poſt breuem in deteriòra flexum, recuperatæ virtutis, ſumma in tua guberna-

natio-

natione commendatio integritatis nũ-quam interruptæ. Abiſsinus regnum ſibi iure debitum prudentia ac animi robore quæſiuit, de tua præſtantia, tã illuſtre fuit ſapientiſsimi parẽtis iudicium, vt vltro imperium cederet, & frui per quietem filij felicitate, & ſucceſsibus, quam imperare mallet. Abiſſinus pietate in Deũ, prudentia, fortitudine, iuſtitia, vigilantia, ſanctis legibus, ſumptuum moderatione, in Eccleſiam & Rempublicam largitate, nõ ſubditorum modo, ſed vicinarũ quoq; gentium ac regum ſibi ſtudia, venerationemque conciliauit. Eadem in ſuo principe decora, amicorũ pariter, hoſtiumq; conſenſu Europa grata mente agnoſcit. Religionem inclyti Ducis, Bauaria dum imitatur, oſtendit, & compoſita ad modeſtam grauitatem aula, mores regentis exprimit. Pietatem prudentia adornat, quã ex omni par-

te principes, magnateſq́, velut oraculum conſulendo, in ſummo poſitam teſtantur. Animum ſecundis, aſperiſq́ rebus imperterritum, iuſtitiæ tenacem, in omnia ſemper intentum, continuæ curæ ac laboris tolerãtem, acria bella, celeberrimæ ſine magnis detrimentis victoriæ, tribunalia, ſubiectorum voces, & experientia nobis demonſtrat, & inprimis qui adulatione caret, hoſtium noſtrorum metus. Hinc & nota illa, & ex honeſto ac decoro orta frugalitas, fons veræ munificentiæ, ſumma principum virtus, qua vectigalia, tributa, labor, ſudorq́ populorum non in luxum, aut pomparum inania, ſed in bella ſacra ac neceſſaria, in religionis ac Reip. defenſionem expenduntur. Hinc tanta ſine fundo liberalitas, religioſas familias, fidei prædicatores, etiã per Indias, Sinaſq́ complexa: horum beneficiorum nulla aut immemor, aut in-

grata

grata erit poſteritas, hiſtoria loquetur, & quod vnicum tuæ pietati votu eſt, nunc æterno præmio penſabit. Quaobrem iure merito Abiſsinum, (niſi cu deliquit) tibi ſimillimum, ad manus Seren. Tuæ defero, atque vt gratum habeat oro, quæſoque.

Cauſa mihi ſcribendi etiam hic, bonum reipublicæ proponitur, vt adoleſcentes, qui Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ, & Theologiæ ſtudijs dant operam, iſagogē, & ad ciuilia dogmata velut manuductionem habeant, atq; inter ardua, arguta, difficilia, minuſq; amœna ſtudia, quæ animos acuunt, laſſantq; lectione politica, hiſtoriæ dulcedine illecti, maioribus parentur, & ad hoc ſtudium mature ſeſe applicent, videantq; in ſocietatis humanæ conſeruatione ac gubernatione eſſe aliquid neceſſarium, quod illis ſcientijs vtiliſſimis, maximiſque non ſatis diſcitur.

Multos enim abſoluta illa diſciplinarũ cyclopædia, cum ad ſtudiorum ſuorum exercitia, atque rempublicam aſpirãt, in malos magiſtros, erroreſq́;, tanquã bonæ mentis ſcopulos, impingere video.

Plerique arbitrantur eos qui Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ, Theologiæ arcana, controuerſa, ſublimiaque ingenio complexi ſunt, iam ad gerendam Rempublicam, danda conſilia, negocia tractanda, obeundas legationes, demerendos animos, belli paciſq́; munia eſſe idoneos: falluntur illi, & fallunt: In Philoſophia ſubtilitatibus multa docẽtur, Theologis, Iuriſperitis, Medicis neceſſaria, politico etſi ex remoto conducentia, non tamen ſufficientia. Experientia etiam docuit, ſæpè Theologorum profundiſſimos gubernandis Eccleſiis eſſe impares, aliud eſt namque intellectu ad ſupera euecto, in rerum diuiniſ-

uiniſsimarum contemplatione verſari, aliud eſt, hominem, animal moroſũ, mutabile, verſutum, tectum, peruicax regere. Neque huic tantæ rei ſola peritia iuris par eſt, alij fines litium ſunt & controuerſiarum, alij communis humanitatis, legum publicarum, fœderum, ſocietatis humanæ. Singularibus igitur præceptis, inſtitutiſque regina ſcientiarum continetur, quæ aliis imperat, Politicè. Nam eorum dementiã, qui ſine ſtudio, multa cogitatione, magiſtriſq; ſe politicos eſſe naturali quadam naturæ felicitate arbitrantur, iã olim Socrates & Xenophon damnarunt. Viliſsimæ artium doctoris & ductoris egent, qui agenda monſtrent, cæmentarij & fabri normam & leges accipiunt, quis credat ſibi ipſi præceptorem poſſe eſſe architectum? D. Thomas ſane etſi Philoſophiam & Theologiam præcipue excoluit, hanc tamen

 partem,

partem, explicandis Ariſtotelis libris politicis minime neglexit, quin ipſo ſuo tam fructuoſo labore oſtendit, politicen ex Sacrarũ ſcripturarum ſacrario, diuinis oraculis à Theologis tutiſſimè explanari, qui illas conſeruãdæ Reipublicæ, tuẽdique ſtatus rationes expediant, ne conſcientiæ incolumitas, æternaque ſtatus ſalutis euertatur.

Duo porrò hominum genera ſunt, qui Politici à vulgo habentur. Primi politici non ſunt, & eſſe credũtur ſtultiſſime, qui affectatis geſticulationibus, veſtium cultu, crurum flexu, vrbanitate verborum, artifice adulatione, locis, temporibus, perſonis, ſeſe noui vertumni accommodant. Ardeliones illos vocat Iuriſconſultus grauis, & Gnathones: rebus ipſis iactantiam, atque animi leuitatem produnt, ipſi ſeſe admiran-

mirantur, demeruiſſe ſe alios, & mire politicos exiſtimant, aliud prudentium eſt iudicium, thyrſo dementiæ percuſſos non ambigunt, deliciæ illæ cærimoniarum, & plus nimio affectata vrbanitas, non modo principibus, ſed priuatis etiam faſtidita, gratiâ & fauore, quem quærit, per ineptias excidit, contemptumq́ parit. Nec mirum: etiam gnathones comicos, cum ridicula iterant, theatra nauſeant. Nunquam laudare deſinam morum ciuilitatem, ac ſuadere: at in illo motuum & ſermonum artificio ciuilem prudentiam ponere, imprudentis eſſe iudicio.

Pernicioſius alij ſe in Politiam inferunt, & nomen illud damno Reipub. vſurpant, latiſſimeq́ graſſantur, ciues Eccleſiæ, & regni in fraudem inducunt. Ciuilem doctrinam eſſe occultiſſimam artem profitētur, Cereris &

Mi-

Mithræ arcanis perſimilem; ſecretiſſimo energemate ſeruari Remp. ac principẽ, ſic Troiam ſimulachro Mineruæ, Romam ancilibus, Ægyptum Alexandri corpore tutam fuiſſe. Cum myſteria illa exquirimus, vt in illis ſuis initijs præſtigijſque gentes, ita hi quoque Pſeudopolitici ad infanda deflectũt: pro virtute ſimulationem, atq; adeo vitia ipſa docent. Nunquam tã felix æuum fuit, vt tales deeſſent; verũ auorum memoriâ abominatam ſectã illuſtrauit Nicolaus Machiauellus, qui tamen Valentinum Borgiam diſcipulũ inſaniente ſapientia dedit exitio, & quotquot eius conſilia, factaq; ſecuti ſunt, calamitoſos exitus habuere. Demiror autem hominem numinis cõtemptorem, à Pontificibus, concilio Tridentino nõ modo damnatum, ſed in primam claſſem librorum impiorũ, quorum vetita lectio eſt, cum hæreſi-

archis

archis reiectum, adhuc habere defenſores. Hi nomen politici, quod ad philoſophos, iuriſperitos, Theologos qui Reip. conſulunt, ſiue ſacræ, ſiue ſæculari, pertinet, & rem ſanctiſsimã profanare conantur: atque ita ſecum ſtatuant, libros illos duntaxat eſſe politicos, in quibus, callidæ, verſutæ, obſcuræ fallendi artes docentur, doli aſtu tractãtur, nouæ, acutæ, inuſitatæ fraudum machinæ concinnantur, politicẽ Pſeudolorum, & Syrorum fallacias eſſe. Tantus error de ſapientia humana eſt, quam à Deo deſciſcentem reprobatam, & adulterinam Spiritus ſanctus ſtultitiã eſſe pronunciat, Praua conſilia carere ſucceſſu Deus voluit, nec immerito; malo dignus eſt, quiſquis abſque Deo, contra Deum, ſibi felicitatem fingit. Singulorum hominum, & totius Reipublicæ eſt beatitudo in Deum tendere, lymphata

&

& amore ſui ebria ſapientia, quamuis currat, non tamen ad metam pertingit, quia extra viam currit. Vnica ſalus eſt imperantis, ex Dei lege gerere Rempublicam, iuſtitiam, æquitatemqúe tueri. Hæc norma, hic ſcopus, hæc vita eſt Abißini. Hac diſciplina imbuenda eſt adoleſcentia, hac via eundum cunctis Rempublicam capeſſentibus: quorum omnium cum in te, Sereniſſime Elector, tanquam iuſtiſſimi, & prudentiſſimi principis exemplum coniecti ſint oculi, ad te quoq; iuſtißimum, & prudentißimum regem legaui, vt te quod ipſe pro publica ſalute geris, in alio legere delectet. Ac demum vt quã diutißimè, proſperrimeque labore & virtute tua Germania ſubleuetur & defendatur, robur, incolumitatem, multos annos, victoriam, de cœlo auxiliũ,

gratiam

gratiamq́; precibus , ac ſacrificijs à Deo in dies expoſco.

Serenitatis Tuæ

Humillimus ſeruus

Adamus Contzen.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS GERMANIAE SVPERIORIS, SOCIETATIS IESV.

HVnc librum, cui titulus: Methodus doctrinæ ciuilis, ſiue Hiſtoria Abiſſini Æthiopum regis, à R. P. Adamo Contzen, Societatis noſtræ Doctore Theologo conſcriptum, atque à deputatis ad id Theologis lectum & approbatum, Ego Gualterus Mundbrot Societatis IESV, per Germaniam ſuperiorem Prouincialis, conceſſa mihi poteſtate ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſcio Societatis noſtræ Præpoſito Generali, Typis mandari permitto. Monachii. Anno à Chriſto nato M. DC. XXVIII. Aprilis 5.

Locus ſigilli

Gualterus Mundbrot.

METHODVS DOCTRINÆ CIVILIS,

SEV

ABISSINI REGIS Hiſtoria.

INter ſcientias, quibus animus humanus à vitijs auertitur, ad morum ciuilitatem, virtutemque eruditur atque accenditur, hiſtoria præſtat. Vtilitati miſcet voluptatem, legentem occupat, rapit, detinet, varietate rerum, euentuum iucunditate potens, memoriam fortius pulſat, figiturque altius, laboris & faſtidij victrix. *I. Hiſtoriæ vſus.* Eam cauſam arbitror, cur Græci commune ſcientiarum nomen hiſtoriæ velut reginæ proprium dicârint. Illa nobilium virtutes, heroum laudata facinora, atque etiam improborum ſcelera ob oculos ponit. Hæc infamia damnat, illa merita laude proſequitur. Eadem æterni numinis ſeueritatem in ſontium pœnis, in bonorum præmijs largitatem oſtendit, poſitisque in vtramq; partem exemplis, vniuerſi orbis teſtimonio probat, nullum delictum abire impunitum, nullius benefacti perire mercedem: ipſa denique vitia, cùm ſe aduerſum remedia corroborârunt, imperiorum ruina opprimi, gentium internecione deleri. Nec rei geſtæ duntaxat ad verum exacta narratio: ſed fabulæ etiam, apologi, parabolæ à viris ſapientiſsimis, grauiſsimiſque ad honeſti amorem, criminum odia inferenda vſurpantur, vt illo apparatu

comitatior veritas maiore pompa ac dignitate veniat, excipiaturque.

Igitur Plato, Xenophon, Cicero, Rempublicam nobis principemq; non ad veritatem hiſtoriæ, ſed imperij normam, qualem nulla vidit ætas, ediderunt, eos patrū æuo multorum induſtria æmulata eſt. Oriens & Africa in more habent, docere ſeu veris, ſeu fictis exemplis. Ipſe Seruator noſter, qui clara in luce omnium ſæculorum acta, conſiliaque ſpectabat, crebrius ſimilitudine, quàm geſtorum veritate in diuiniſsimis concionibus vſus eſt: nec illa tamen docendi ratione verbis adempta fides, ſed firmata eſt auctoritas. Quare & mihi illam inſiſtere viam placuit, tot tritam veſtigijs, tot præeuntibus æquatam, nouo tamen inceſſu, nouoque ductu. Illi ferè vno in principe, aut vrbe recta ſtudia, virtutemq; effigiarunt, optimaſque imperandi ac parendi leges hiſtoriæ illigarunt: mihi verò ſumptus eſt princeps, in quo virtutum decora, & viciſsim probra vitiorum, ac denique malè conſultorum pœnitentia locum habuerunt. Tenera eſt enim & fluxa in his vitę tenebris innocentia, pauciſque ad exitum non interrupta perſeuerat, præſertim regibus, quos ſumma licentia inuitat, adulantium impetus ad deteriora raptat. Materies igitur mihi eſt, magnus AEthiopum imperator Abiſsinus, eorum, qui ab eo hodieque nomen mutuantur: de eo non quæ facta ſunt, ſed facienda, vitandaque ſcribam. Vita illius inter magnas virtutes vitiaq; alternans, variam quoque fortunam ſubijt. Rem ab incunabulis repetamus.

II. *AEthiopiæ ſitus, ſinus, ... Nili.* Res poſtulat AEthiopiæ ſitum, fineſque paucis exponere. Antiquis enim prorſus incognita fuit, ideo inaperta bellis, niſi qua contermina AEgypto atq; Erythræo mari, Perſarum, Macedonum, Romanorum magis arma inaudijt, quam ſenſit. Latiſsimè vltra ſolis hybernas, quas vocant, tropas, extenditur, in ſeptentrionem paululum extra ſolſtitium excurrit, ita maxima eius pars ſub ardente phœbo iacet, totum ſpacium inter æſtiuos & hybernos circuitus complexa, ad mare AEthiopicum

in arctum ſtringitur, deſinitq; in ſcopulos naufragijs famoſos, quod promontorium Bonæ ſpei præmatura nauigantium congratulatione vocitatum eſt. Eâ cauſa fuit, cur vetuſtas eam continuis æſtibus arentem, ad perpendiculum ſuperincubante ſole, & deſertam exiſtimarit. Errorem Luſitanicæ nauigationes detexêre: frequens in illa habitator, Natura telluris alibi cultu facilis, amœna aſpectu, frugum pecorumque fœcunda, nec Lybicis glebis impar vbertas. Haud etiam pro vicinitate ſolis ardor, hyemes ſuas nouit, niueſque, plerunque breues, in lunæ montibus perpetes, quibus incrementum ſuum Nilus, fertilitatem debet AEgyptus. Aduenis aura grauior calore immodico, incolis iucunda, ſeu aſſuetudine, ſeu corporum temperaturâ. Hominum genus aridum, velox, ſanum, laborum, inediæ, ſitis patiens, longæuum, ingenia varia, in cultiore plagâ, magna, acria, culta, alibi bruta, & veluti fuligine obducta. color vt plurimum fuſcus, paucis ater. Reipublicæ ſtatus ſub vno principe, modeſtè, & ſtatis legibus imperante. Hoc enim primum in terris regentium nomen fuit. Hinc AEthiopibus, certa, pacata, ſueta amantibus, nulla maioris libertatis eſt lubido. Hinc ſtabile regi imperium, parentium amore munitum: quod non minus ſubiecti ſaluum eſſe, quàm princeps ipſe, deſiderant. Ab ortu, mari rubro, quod carectoſum antiquis dictum eſt, clauditur; qua extra Zonam torridam ad polum antarcticum protenditur, & occidui lateris parte AEthiopico oceano alluitur, ſæuo, importuoſo, olim fabulis, nunc hauſtis, fractiſq; claſſibus infami, & Europææ auaritiæ vindice. Quod eius ad occaſum ſupereſt, Nigro flumine, arenis deſertisq; ab interiore Africa ſeparatur. Boream verſus Lybiam habet & AEgyptum, qua parte ne adiri queat, inuiæ ſolitudines, anguium magna vis, & arenę exercitu Cambyſis oppreſſo nobiles abarcent. Regnum itaq; maxima ſui parte maribus ambitur, fluminibus, deſertiſq; prætexitur, externis viribus, modo domi concordia ſit, inacceſſum, ideoque inuictum.

III. *Genus Abyſſini, & vetus religio.* AEthiopum genus ex Chamo, reges paternam ſtirpem ex Salomone deriuant. Reginam Sabæorum ſapiētiæ illius admiratricem, thoro illius quoq; dignatam ferunt, eam genuiſſe regem, à quo non interrupta auorum ſerie regnantibus etiam hoc tempore ſit origo. Quare ſeſe Salomonis, & Dauidis filios appellant, quo de matrimonio haud facilè compertum narrauerim, Sabæis alia regione poſitis. Neque tamen nuptias vel reginæ, vel Salomoni adhuc delicijs imperdito indecoras iudicarim. Regi illi ius fas erat plures vxores ducere, amare reginam tam caſtè potuit, quam verè eam Chriſtus laudare. Potuit etiam illa à rege ſobolem petere, cuius ſapientiam mirabatur, & amabat. In eo ſemen promiſſum, virtutes, figuram filij Dei, æternæ felicitatis non vanum ſpecimen cernebat. Nec intemperantiæ erat, ſancto regi nubere; ibat enim in patriam non reditura: ſibique perpetui cœlibatus legem ipſa fixit, abſentiam mariti educatione & caritate filij ſolatura: Dignum eius pietate & prudentia, vt potius à Salomone mater fieri, quam ex impio dæmonum aliquo cultore vellet, eo enim modo, & ſibi religionis libertatem, & integrum filij educandi ius retinebat, quorum vtrunque impij coniugis conſortio ac dominatu periclitabatur. Chriſtianæ pietatis ſacra maturè acceperunt. Eorum annales Candacem reginam ab Eunucho, quem Philippus baptizârat, fide imbutam, ſubditos ad Chriſtum adiunxiſſe memorant. Hunc omnino Eunuchum Aethiopum fuiſſe doctorem, Irenæus, Euſebius, Hieronymus, Cyrillus, Nicephorus, magni auctores aſſeuerant. Verum de his ſuum cuique eſto iudicium. Ad Abiſsinum venio.

IV. Moſambum Abiſsinus patrem habuit, cuius cognomen tenet, & conditorem nobile Moſambicum agnoſcit, portu & opibus inclytum. matri nomen Saracuſſa, quod dominam AEthiopum ſignificat. Hanc Abiſsinus decennis, patrem poſt octo deinde annos amiſit, hunc luctuoſo, ſed memorabili exitu, matrem facili & felice. Natum eſt regnantibus Conſtantini magni liberis, auum

certum haud facilè ſignauerim. Mater eum præcipue carum habuit, vtpote magnæ indolis, & vnicum. Nec amando tamen, quod plerunque matres ſolent, perdidit, ipſa eum geſtare, lactare, curare, nunquam niſi grauiſsimis matronis, eleganter diſerteque loquentibus committere: ipſa omnia diſcenda tradere, balbutientem formare linguam. Corporis ſtatura mediocri altior, artus validi, colos ſubniger, caro ſucculentior, frons lata, cæſia lumina, vox grauis, venuſtas plena maieſtate, veſtis precioſa, virili tamen neglectu magis decora: memoria firma, acre iudicium, magna virtutum indoles, auxit inſitas naturæ dotes, eduxitque ſolerte cura mater, & prudentia educatorum: nec deerant tamen quæ corrigi, euelli que oporteret, quæ per improuidæ ætatis ſimplicitatem prodebantur. Largus erat, prodigo, quam liberali ſimilior, properus iræ, non tamen implacabilis, aderat etiam regnatrici domui adnata ſuperbia, poſtquam ſui precium nouerat. Verum iſta ſedula doctrina, & cœleſtis gratiæ adiutorio premebantur ac cedebant virtutibus. A teneris didicit prauas damnare cupidines, vitare delicta. Primus erat inſtituentium labor, vitiorum primordia excludere, eorumque malorum exempla procul habere, quorum ignoratio eſt omni diſciplinâ potentior.

Quadrimus, cum non eſſet curis idoneus, per ludum V. *Infantia Abiſſini.*
elementa didicit literarum, AEthiopum primo, deinde Arabum; cæ nucibus, trudiculis, alijſque ludicris inſcribebantur, ex ordine & ſerie cognitâ erat victoria. Eadem deinde arte ſyllabas ludebant, ſi binas pluresque literas ſyllabam, aut nomen efficientes iecissent, momentum erat ad victoriam, eo modo legere ante didicit, quam librum vidiſſet. Miror ſane magnatum liberos non imitari exemplum, cum valetudini, firmitati ingenio illa conducat exercitatio. Nunc per metus plagaſque vtilia prius odiſſe incipiunt, quam guſtare. non pigebit vnum è multis luſibus deſcribere.

Pyramides viginti tres ſtatuuntur, ſingulæ ſingulis literis inſignitæ, elementorum dignitas ex ordine, primum valet viginti tria, ſecundum viginti duo, ita decreſcente reliquorum æſtimatione ad vltimum, quod vnum duntaxat continet. Ludunt primum literarum periti, literam tactam pronunciant, ſpectant paruuli, notant figuram & nomen, mox cupidine ludendi, & victoriæ, quæ in pueris flagrantiſſima eſt, celeriter addiſcunt. Alius in eodem luſus eſt, vt non victor cenſeatur, qui plures numeros iactu fecerit, ſed qui literas ſyllabam, aut nomen facientes tetigerit. Minuta fateor hæc cura eſt; at non minutæ vtilitatis. Sacramenta noſtræ religionis, preces, Euangelicam hiſtoriam, puerulus tenebat, acuerat pia mater ingenium, dum aut æqualium æmulatione extimulat, aut laude & munuſculis prouocat, præcipuè alios vel ignorantes, vel inſcitiam ſimulantes docere iubet, magiſterij honore lætum.

VI. *Pueritia Abiſſini.* Inter iſta ad ſextum vſque annum egit, tum pater maioribus admouendum ratus, Ioanni Epiſcopo Melindenſi commiſit. Erat ille non regio magis genere, quàm virtute clarus: ſingularis in eo morum ſuauitas, integritas, innocentia, prudentia, dexteritas, & omnium iſtorum ornatrix eloquentia. Alumnum ſuum ita educauit, vt nunquam fruſtrà monuerit, nunquam reprehendendo offenderit. quod arduùm eſt in eâ ætate, quæ cum ad cœtera mollis ſit, & cerea, monitoribus aſpera eſt; & in eâ fortuna, quæ vitijs ſuis venerationem per adulationes expoſcit. Ioannes vt regium puerum è ſinu matris volentem educeret, decem è liberis principum Arabiæ, pari cum Abiſsino proceritate, ſed natu maiore, ſelegit, qui equeſtre ſpectaculum exhiberent. Arabia tum AEthiopi parebat, principum filij in aula educabantur, ſpecie vt linguam addiſcerent, in regis notitiam, dignationemque venirent, reuera vt obſidum loco eſſent: Arabes armis aureis, veſtibuſque conſpicui, equitandi ſcientia admirationi fuêre: propria enim eſt illis agilitas,

gilitas, ſtudiumq; equorum Spectabat cum parentibus Abiſsinus, & aliena gloria vrebatur, dolorem vultus prodebat, at poſtquam equites rex prolixè laudatos, donatoſque dimiſit, filium rogat; quando tandem ipſe relictis crepundijs, equos & arma tractaturus ſit? ille illacrymari, & cum loqui vellet, pro voce fletus erumpere. mœrorem intendebat morio, aſsiduus culparum eius irriſor, exprobrat ignauiam, imperitiam, quęque alia pueris auditu triſtia. Ira, lacrymiſque oppletum Ioannes ſolatur. Eſſe ſibi domi equum ſpectatiſsimè phaleratū, arma ſplendidiſsima, breui ſpacio poſſe eum omnibus Arabibus fieri peritiorem. Verum equum illum nō niſi armato parere, ſeſſorem è gynæceo non ferre, calces talibus illidere, opus ergo, vt ſecum domum concedat, ita comitatu deductus ad alia animum applicuit.

Memoriæ ſpecimen dedit anno ætatis octauo. prouinciarum legati, qui negociorum cauſa ad regiam venerant, Abiſsino minori domino munera attulerant. rex eos more patrio menſæ adhibebat, ibi filius ſingulorum nomina vrbiumque vnde venerant, & munerum genera patri recenſere, ſupra ſexaginta autem erant legati. Minus autem iudicio validus habebatur, errore hominum, qui aſtutiam in puerili ætate ſapientiæ futuræ omen arbitrantur, candorem quaſi fatuitatis ſignum improbant: cum ratio, & experientia diuerſum oſtendant. Argutuli illi fallaceſque, creſcente ætate, leues, inconſtantes, ludicris dediti, rarò prudentes euadunt, præcoces fructus decidui ſunt, deficit illos ſuccus & vigor: candor & ſimplicitas in veram ſapientiam matureſcit: ita ſenſim ſeſe Abiſsini ingenium exeruit, multis quæſtionibus familiares exercebat, Cur vmbra meridie curta, mane & veſperi productior eſſet? cur luna faciem toties mutaret? cur interdiu ſtellæ non viderentur? vndè nubes, niues, venti? nec reſponſis facile acquieſcebat, verum nouas ex illis quæſtiones texebat. eoque modo mathematicas diſciplinas, & arcana naturæ perdidicit. Indig- *VII. Adultior pueritia.*

ſium dictitans; exiguis rebus occupari, mundi ipſius ignarum. Patria lingua cultiſsimè loquebatur, nec in eius quiſquam erat comitatu, qui non diſertè, & vernacula ſuauitate voces pronunciaret; itaque ſermonis ruditatem facilè euitabat, cuius vitia nunquam audierat. Arabum idiomate ſic vtebatur, vt aliam linguam neſcire videretur. eorum quoque libris delectabatur, eruditione enim & cultu AEthiopas anteibant. Candoris indicium decennis dedit. Inter ludendum ephebo trochum impegerat, iræ impotens: Hic tam ipſe quam colluſores certi nullam illatæ iniuriæ fore veniam merebant. prudens pater ita cauerat, ratus aduerſus iracundiam efficax remedium eſſe, ſi nunquam impune ſæuiret. Ergo cæteri, vt pœnam à domino auerterent, reum ſubdunt, nec inuitum. adulatio namque in aula ab incunabilis diſcitur, & delicta regum immeriti luunt: ille ſocijs cum gratias egiſſet, deinde monuit non eſſe dicendum falſum teſtimonium, regium non eſſe peccati ſui pœnas in alios reijcere. Nec id Deo gratum, qui magnis & paruis ex æquo ius dicat. Pater illa indole delectatus, cum nec punire vellet, nec ignouiſſe videri, ignorantiam præ ſe tulit.

VIII. Alius paulò poſt caſus generoſam eius conſtantiam, quamuis aberrantem, in lucem produxit, & toto regno nobilem fecit. Atrienſis aureum cymbium furto è regia ſuſtuliſſe conuictus, de manu apparitorum elapſus, ad eius genua accidit, ſupplicem in fidem recipit, & patrocinium promittit, iudex furem ad ſupplicium depoſcit, imperium regis, & patris obtendit, neminem temeraria promiſsione teneri, ſe, niſi ſponte reus dedatur, vim facturum. Abiſsinus ſpacium rogat, dum Ioannem conſulat: poſsitne ſalua fide ſupplicem tradere. nec alter abnuit, periculoſum certamen cogitans cum filio regis, qui haberet & ætatis & maieſtatis prærogatiuam. Parenti tamen indicat, qui lætus fidei & clementiæ filium documenta præbere, iubet præfectum collecto militum, ciuiumque globo

vim

vim oſtentare, ipſe exitum è turri ſpeculabatur. Interea puer moram nactus totam familiam armabat, defenſionem meditatus, lente parebatur, quippe puerile inceptum, mox ſibi luendum timebant. Trepidantibus ſuperuenit prætorio præfectus clam à rege ſubornatus, hortaturque ne deſint filio regis, ſupplicem tueantur. Verùm poſtquam iudex maioribus copijs aduenit, quod ſe imparem videret, in inſulam, quæ medio horto aqua viua cingebatur, ſe recepit, naues ad ſe pertrahi, pontem arida materia oppleri iubet, ſagittarios diſponit. At oppugnatores thoracibus, validiſque ſcutis obtecti diſijcere ſarmenta, tranſitumque per pontem moliri: Abiſsinus incendi omnia imperat, cum nemo obtemperaret, ignem ipſe ſua manu iniecit, moxque flamma emicuit, quæ agitata vento, extinguentium laborem fruſtrata eſt. Rex tantâ audacia territus, etſi ſeuera omnia cogitaret: nam pons è cedro erat, opere laboratiſſimo viſendus, reum filio donare iubet, conſcientiam facti diſsimulans, caſu arſiſſe, dicentibus, fidem ſe habere præferebat. Maius enim facinus dicebat eſſe, quàm vt paterna caſtigatione vindicaretur, & puerum in fide ſeruanda errare, quam ſpeciem perfidiæ tolerare, honeſtius iudicabat. Quin ſeipſum, ſubornato præfecto, incenſi pontis cauſam dediſſe. Magnum leuamen eſſe regibus, ſi damna ſua neſciant.

Hoc gratum, iucundumque omnibus, nihil enim in principe amabilius, nihil diuinius clementia. quod verò deinde fecit, omnes, præſertim optimates terruit. Duo viri nobiles aprum inſecuti ſegetes conculcarant, tolerabili primum damno, dein agricola quiritante, ſeuera enim lege indemnitati agreſtium erat cautum, irritati, vocatis ſocijs per iram & laſciuiam totum agrum obtriuerunt. Hoc enim contumelioſiſsimum habent iniuriæ potentium, quod non modò ſint inultæ, ſed auctores vltrò oppreſsis illudant, iuſtaſq; pereuntium querelas pro crimine habeant. Non tulit indignitatem IX. *Seueritatis exemplum.*

rei Abiſsinus, plenus irarum rem ad patrem defert, addiditque vocem, nunc quoque magnatibus ingerendam. Stare non poſſe regnum, in quo pauperes opprimantur. Nihil regi lætius accidit, filiumque complexus: Macte, inquit, hoc animo fili, qualem te pauperes, talem tu Deum experiere. Tibi in famulos ius concedo. cognita cauſa, lege, licebit, agas. nec ille cunctatus auctores damni de vi accuſatos morte, ſocios in quadruplum damnauit. Multa cōtinuò depenſa, pro ſalute captorum preces, interceſsiones, & nonnulla iura adferebantur. Diuiti etiam ſcelerato nunquam deeſt patronus, quia nunquam non ſunt aduocatorum aliqui venales. Maximè annitebatur Ioannes, quod omnem in ſe deriuatum iri inuidiam proſpiceret. ipſe ruſticus dies noctesque ante limen proſtratus veniam inimicis rogabat, ea res animum iuuenis exaſperauit: conſtabat enim minis cognatorum adactum deprecari. Rex cùm filium obfirmatum durare in necem nobilium audiſſet, clam egit, vt conniuente cuſtode euadere ſineret reos. Tam ſeuero exemplo nobilitatem exacerbari filio vtile non eſſe: Abiſsinus fugâ audita ſilentium tenuit, ſic enim tegere iracundiam doctus erat, ne in verba maieſtati indecora erumperet; verùm aulicis principum animos intimos ſcrutantibus, iam nota erat conſuetudo, & ſilentium pro ſigno indignantis, & ad vltionem erecti interpretabantur. nec improbis tamen Nemeſis pepercit. Leæna cum catulo ceruum inſecuta fugientibus occurrit, atque in eo ipſo agro, quem obtriuerant, ſemeſos laceroſque reliquit. pœnaſque legibus debitas, ſed potentia diſcuſſas beluæ exegêre, nec præſentis modò facti, ſed veteris etiam inſolentiæ pœnas dedêre. ſoliti agros depaſci, venationum ſumptu ruſticanos atterere, leonum, tygriumque venationes importuno tempore, magnis periculis inſtituere, ſi quis in feram ſatis noxiam aliquid auſus eſſet, morte vlciſci. metu miniſque indices deterrere. Et ſi ad iudicem veniretur, donis ſibi tu-

ta crimina faciebant. Iſta in aulam relata, conſcios parium criminum primo auditu percelluére, mox fortunæ & caſibus euenta tranſcribunt, & in vetera reſoluuntur.

Hinc grauis procerum licentiæ Ioannes, & creſcente noui principis iudicio ſeuerioris cenſuræ formido. Ambigua etiam verba iactabantur, quaſi à puero prolata, quibus potentium iniuriæ notarentur. dixiſſe ferebant: Parentem ſuum ouem eſſe aureo vellere, quam omnes carpant; iudices furandi, præfectos prædandi ius vſurpare. Verùm illis omnibus diuinam eſſe poteſtatem, vt ex ſpurijs legitimos, ex falſo verum, ex iniuria ius creent. Iſta ſiue dicta à puero, ſiue ab alijs ſparſa, quia vera erant, etiam dicta credebantur, & Ioanni imputabantur. Seradanus igitur princeps ſenatus, vt ſpecie honoris Ioannem amoueret, alioſque, regem adijt, Abiſsinum dilaudat, eum cunctos ingenio, moribus, ætatem ſapientia anteire, in eo ſpes Aethiopiæ ſitas, cœtera in eo abunde eſſe, iam nunc militiæ præceptis, atque vſu imbuendum eſſe, hac arte cuncta, quæ mortales prima ducant, ſeruari, augerique. Hac diſciplina tutelam regni contineri, regem hoſtibus fieri formidabilem, nec interea literarum ſtudia, patrijque iuris omittenda, ſalubriter illa bellicis exercitamentis admiſceri. Eſſe illi virum, quo nec virtus meliorem viderit, Ioannem Epiſcopum Melindenſem, eius inſtitutis monitiſque firmatam principis iuuentutem, haud facilè in praua flexuram. Iungendos alios pari virtute, qui leges inter arma doceant, & arma pro legibus ſtringenda. Locum videri aptiſsimum Melindam vrbem aëre ſalubri, moribus cultam, opibus vberem, amicam regibus, ibi & tirones exerceri, & claſsiarios, eſſe ibi vetera regum palatia, hortoſque, copioſam etiam per finitima venationem. Abiſsinum nôſſe milites, & ab ijs cognoſci,

X. *Moderatores Abiſſini.*

noſci, terra mariſque exerceri, qui vtroque loco dominaturus ſit, è re non magis publica, quàm regis eſſe. Cōſilium rex probauit, nec Abiſsinus abnuit, profectione, auctoque ſplendore comitatus iuueniliter lætus. Tum auctoritati conciliandę adiectum eſt, in vrbem, claſſem, tirones ſummum imperium haberet, honorifico edicto, priuatim tamen conſtitutum, vt nihil niſi ex ſentētia moderatorum ſuorum ageret. Operum, quæ in Moſambo laudantur præſtantiſsimum fuit, cura filij piè recteque inſtituendi, non ignaro vt plurimum in principis inſtitutione populorum fata librari. Quæ adeò in vtramque partem valida eſt, vt multi cùm à virtutę deſciuerunt, rectè tamen integreque ſubiectos gubernent. priuatim enim cupiditates ſequuntur, publica ex legibus adminiſtrant. Iura patria, leges, omnem æqui honeſtique rationem, agendi comitatem, hiſtoriam, politicen docebat Garamas. Huic gentile nomen ex auo adhæſerat, qui ex Garamania profectus ſedes in Aethiopia collocârat, virtute & ſapientia reges demeritus, atque in familias illuſtres per matrimonia adſcitus, non degeneres filios, & nepotes, quæ rara felicitas eſt, poſt ſe reliquerat. Hic ſanè Garamas primus inter principes, atque optimus habebatur. Bellicis rudimentis præerat Hananus. Plebeium viro genus, clarum militia nomen, ab infimo gradu ad ſummum prouectus inuidiam mouerat. Hi publico ſenatus conſilio moderandæ principis iuuentæ delecti ſunt. Inter ſe virtutum ſocietate deuincti, cæteris ferę ob morum probitatem inuiſi. Ea erat tum aulæ facies, vt innocentiæ plus periculi, quàm honoris eſſet, improbi malefacta mutuis operis aut celarent, aut defenderent; neq; enim collegarum fauore his prouincia demandata eſt, ſed callida machinatione, vt eorum cenſura ſeſe liberarent, eoſque euerterent, vel rei malę geſtę accuſatione, vel alumni aliqua offenſione. Hananum ferre nequibant, acrem militum & ducum delictis vindicandis, hinc conuitia & odia; nam commodis exercituum aduerſus habebatur. Militum enim la-

bente diſciplina ferox genus, iniuriam ſe accepiſſe queruntur, ſi facere prohibeantur. Rectores parum in ſua modeſtia momenti eſſe arbitrati, aliorum quoque comitum ex virtute delectum habebant. Nullus in quo non honeſti ſtudium, ſtudiorumque & armorum amor, acceptus eſt. aberant comeſſationes, rixæ, obtrectationes, obſceni inteſtabileſque ſermones. Adoleſcens nobilis, quod de amoribus carmen ſpurcum legiſſet, non ſine ignominia domum remiſſus eſt, codex flammis exuſtus.

XI. *Exercitia Abiſſini.*

Magadaza Melindam profectus, regioque apparatu receptus, & ſtudiorum, & belli meditationibus erat intentus, iaculari, digladiari, equitare, natare, ordinare aciem, caſtra metari, aciem promouere, reducere, naualia prœlia adumbrare, machinas exſtruere, nouas inuenire, nullam duci aut militis partem omittere, venari, etiam leones, tigres, pantheras, vrſos, quotidianum erat. Nec iſta pro labore habebat, ſed pro ſtudiorum, & grauioris curæ laxamentis. Parcus cibi ſomniq;. Hinc eximia iuueni caſtimonia, cum domi magnis ingenij exercitijs otium, & illecebras ocij ſectatrices excluderet, foris ita corpus fatigaret, vt quietem, quàm delicias mallet. Præcipua ſolertia in militum annona, veſtituque curando, quod militem & equum malè paſtum oneri eſſe diceret. Præfectum commeatuum, annonas accidere conuictum fame necauit. Tribunum qui ſtipendia interceperat, militibus diſcerpendum dedit. Vrbis quæſtorē frumentum inique diuidentem, laqueo interemit.

XII. *Moſambi mores, & regni ſtatus.*

Hæc rudimenta Abiſſini, quibus ad regnandum, bellandumque, & imprimis benè viuendum informabatur. Nunc ad Moſambum parentem eius reuertamur, bellumque quod illi cauſam mortis, filio regnum dedit. Erat Moſambus otij, quàm laboris cupidior, mitis, ignauiæ propior, cuius conſilia magis, quàm facta laudares, medius bonos inter & malos principes, quem aliquando magis humana infirmitas excuſaret, quàm innocentia abſolueret. Præcipuus in illo error, quem multi imi-

tan-

tantur. ſemper illi fidem habere, cui ſemel credidiſſet, nec præſidum audire delicta, quod multi regnantium extremo periculo faciunt. Hinc iniuriæ frequentes, & plebis irrita lamenta in iras & contumaciam vertebantur. Nam mediocria mala lachrymas, ingentia vltionem cient. Nobiles ſua damna ferè taciti, quàm ius experiri malebant; quippe apud obnoxios, aut prædæ ſocietate pollutos cauſa dicenda. nec in legibus remedium: ſi quem iniuria proruiſſet, per ſpeciem iuris conterebatur. ergò extrema paſsi ſilentio & patientia reliquias fortunarum tutabantur. Lueniebant iſta ſocordia regis, eius frater Manicongus acri vir animo, ingenio ſolerte, iuſtitiæ cultor, oſor criminum, &, ſi poteſtas fieret, vltor, iſtis angebatur, regnandi erat auidus, optanti tamen, quàm auſuro ſimilior, nec per nefas regnum quęſiturus. Fratrem rex nec magnoperè amabat, nec ſuſpectabat. vt querulum & rerum ſuarum obtrectatorem, aut ſanè importunum monitorem fugiebat. De Republica haud facilè cum illo ſermones miſcębat, cœterùm officijs certabant, & innoxia ludendi, venandi, conuiuãdi hilaritate. Miniſtris vnicum, ne rex fratri crederet, ſtudium, teſti & indici facinorum: poſtea calumniando vtrumq; in mutua exitia accenderunt. Auctor cladium regię domus Caſates, qui per delationes, & virorum ruinam ad ſumma peruenerat, fraude, ſæuitia, & quæ omnia prauæ mentis mala animabat, inexplebili auaritiâ corruptus, ſibi regibuſque perniciem ſtruebat. Nulli ille religioni, vel ſuperſtitioni addictus, quod ex vſu crediderat, arte ſimulabat, plebes popularem, nobilitas optimatem, præſules pium diu putarunt. Rex diutiſsimè iuſtum fidumq; Manicongus ſemper deterrimum iudicauit. Sic hominum plerique ex ſignis fallacibus, pauci ex vero res æſtimant. Plurimum prœmia bonorum occupât ſimulatores, & quod nocentius eſt, etiam famã.

XIII. *Caſata auaritia,* Taprobanam inſulam natiuis opibus, & vicinæ Indię commercijs opulentam Caſater regebat, quid in illa egerit, ſuperfluum eſt ſcribere. totam, quantum potuit,

it, exhauſit, domum ſuam quaſi victæ ſpolia congeſsit. *Caſſani rebellio.* cum iam quod raperetur, deficeret, cupido tamen cum opibus creſceret, diras nobilium quæſtiones, & diuitum, fictis criminibus exercebat, fortunarum abdita perſcrutans. crudelis ſanè belua eſt auri cupido. Feris etiam immanibus manſuetudinem ſatias affert, auaritiæ ſitis copia rerum accenditur, cumque ſupra modum increuit, omnem humanitatis affectum tollit. In magno omnes metu eſſe, vel rerum amittendarum, vel ne ſuſpicione latentium diuitiarum cruentis quæſtionibus lacerarentur. Fama enim erat, nobiles negociatoreſque per ea, quæ in rerum natura ſunt atrociſſima tormenta, poſtremò rumori abolendo trucidatos. Quę omnia in maius odio metuentium efferebantur: cum enim etiam optimi principum vix vnquam ſine obtrectatione gubernent, nihil mirum eſt tyrannorum cuncta in deterius accipi, vulgariq;. Neque arbitror vllius aſperè regnantis ſæuitiem parem famæ extitiſſe. Hinc alij ſolum vertere, alij opes recondere, paupere cultu, victuq; agitare, ad indecoras artes, adeoq; mendicimonium ſeſe demittere, ne diuites haberentur, & augebat tamen opes coacta parſimonia. Huic ſe monſtro primus oppoſuit Caſſanus, opibus, innocentia, auctoritate inclytus, Ca[illegible]midatus. Poſſeſsiones illi in Inſula multæ, plures in oppoſita continente. Vnionum capturas per ſeruitia exercebat, toto oriente negociabatur. Negociatio enim nobilitati, cultis in gentibus, decora ſemper viſa eſt. Barbarorum eſt, cũ domeſticæ facultates ſunt anguſtę, vel prædas agere, vel ruſticorum laniatu vitam trahere. A Caſate hactenus intactus egerat: nam regias diuitias oppignoratis graui ære alieno fundis benè celabat: necnon modò apud regem, ſed proceres etiam gratia pollebat. Rara & precioſa gemmarum vnionumque regi talium auido donabat, verbis munera conciliabat, vt nó [illegible]re illa, ſed beneficium accepiſſe videretur, quod [illegible]ta non eſſent. quæ modeſtia ſupra ipſa donorum pretia eminebat. Nôrat ſcilicet [illegible] multorum, qui

ia[illegible]

iactura rerum ſuarum odia principum emerant, dum vani beneficia iactant, quaſi victores. Eadem arte aulicorum tenebat animos, non ignarus ſine horum beneuolentia regiam euanidam eſſe, & crebro periculoſam gratiam. Sic Caſaten territabat, verùm ille calumniam parat, quò ſuſpectum regi faceret, & ſecurus deinde expilaret, indicium de facta delatione ſcriba regius Caſſano fecit, donis iam olim cultus. Ille poſtquam diu ſecū deliberaſſet, fugeret, an ſeſe vltum iret, vicit tandem ſeu ira, ſeu amor patriæ. Filios ad ſe vocat, atque in hanc ſententiam alloquitur. Veſtra me, filij, pericula ſenectà tutū cruciant. Opum & vitę mihi facilis eſt iactura: inter priuata & publica dāna mors in voto eſt: quæ ſexagenario nequaquam immatura, patriæ exitium præ oculis habenti, etiam ſera videri poteſt. Quid Caſates paret, iam palàm eſt. Pereundum eſt, niſi virtute ſcelus anteuertimus. Dandus eſt auaritiæ ſanguis, niſi eam opprimimus. Magnum eſt, quod animo agito, at non niſi audacibus, inuſitatis, periculoſis cœptis nobis conſtare ſalus poteſt. Porrò quid facere decreuerim, ſi vos adiuuatis, accipite. Paratus eſt à maioribus vicino in nemore ad incerta rerum ſub terra locus, in eum aurum, gemmas, alia ornamenta deferte, cœtera domus ornamenta ſuis locis relinquite, domum incendite. Tu Pharnaze Indianos fundos adito, clam militem legito. Roxartes exuſtæ domus rudera incolet, rura proxima arabit, quæ mittentur arma, in nemore occulet. Thraſarrus cui vita cœlebs & libera iuuenta, tyranno ſeruitum ibit, quęque cognorit, fratribus perſcribet. Ego quaſi rebus humanis omninò abdicatis, peregrinabor, & ab Indiæ dynaſtis auxilia petam. Si ad iſta vobis eſt animus atque audacia, ſi liberare patriam, quàm emori per cruciatus nobilius ducitis, parenti debitum obſequium iureiurando ſancite. cætera ego diſponā. nec cunctabundi in verba parentis, & ducis ſui iurant. aliàs ſemper obtemperare ſueti, non examinare & cenſere imperia. At Thraſarrus ingentis animi adoleſcens, cùm ad verba iuriſiurandi pronun-

cian-

cianda accederet, non ſine concuſſu artuum, & linguæ titubatione impalluit, deinde ſubito rubore vultum perfuſus patrem terruit; qui ſeuera voce vultuque: Te vero ſolum degenerem pallor arguit? quid deinde palloris expultrix purpura? an rubor cum inſigni timoris etiam timorem expulit? Quid hęres? fatere verbis, quod latere vultus non ſinit. Abſcondi animus non poteſt, quem etſi nondum vox prodidit, colos tamen depinxit. Equidem, ſubdit adoleſcens, ſi in tormenta, & mortem ire me iuberes, læta fronte ruerem, quo iuſſa paterna mevocarent, ſeruitium tyrannicum imperas, ſupplicium omni morte triſtius viſum eſt. igitur pallidus preces parabam: mox hoc quoque iudicium damnaui, puduitq; me cogitationis meæ, quaſi melius mihi conſulere me iudicaſſem, quam tu pater. huius criminis verecundiam mutatus in melius color expreſsit. Nulla mora eſt, vado. Simul lacrymis decorè fluentibus, & ſingultu interſtrepente, ſacramenti verba recitauit. Digna virtutis indoles, quæ in meliore fortunâ, pro meliore cauſa exercitaretur.

Eadem nocte theſauros conſanguineorum paucis & fidiſsimis, quorum ſaluti neceſſarium eſſet ſilentium, adiuuantibus extulerunt. Nec ſeruitijs, quamuis inculpatæ fidei commiſſa negocia. In arduo, atque ancipiti molimine, non tuta modo, ſed tutiſsima quærebantur. Nouerat ſeruiles animos plerumque viles, ſpe metuque mobiles, arcanorum minimè tenaces, & coniurationum plurimas, in ipſo conatu oppreſſas. Poſitis in tuto cimelijs, conuiuium apparat, cunctiſque in hilaritatem effuſis, incendium oritur in illa ædium parte, vbi plurima [illegible]um nutrimenta collocarant, & reciprocante maris æſtu Corus turbulentior flammam ventilabat, nulla ſpe reſtinguendi, ſupellectilem, & conuiuij inſtrumenta efferunt, magni fletus, & ſine ſolatio dolor reputantibus vnicum inſulæ præſidium in cineres conſediſſe: conſcij [illegible]te ad ſimulationem vultus compoſuerant, & triſtitiæ imitamenta peragebant. Caſſanus animi imper-

XIV. *Caſſanus domum ſuam incendit.*

turbatus: Vicino, inquit, in nemore conuiuium inſtauremus, pro tapetibus erit arboretum, cœlum pro cœnaculo. Aliud palatium non fuit totius mundi domino, primo omnium parenti. Contemptor opum animus mihi ſemper fuit. deſerere eas & volui, & debui. Tarditatem meam vindex flamma præuenit. Dolere non vacat eius cauſa, quod nuſquam eſt. egenti expeditior eſt via ad numen, quod nuſquam abeſt: nec ſpernit pauperes, quos voluit eſſe multos. Hoc vnum ſupereſt, vt neque vos me conſolando fatigetis, quaſi luctuoſa paſſum, neque ego neceſsitati ſuccumbam, ſed vtar. Quod flammam euaſit, filij diuidite. Aes alienum, quà licet diſſoluite. Cras arua infelicia deſero, Caſatem patrem, & dominum extrema voluntate vobis lego. Eius arbitrio, ſi quid ſub ruderibus incorruptum manet, eruite. Hoc vnum paternum tenete, Viris bonis nunquam deeſſe Deum. Dein pateram grandem poſcit, Lezo propinat, & Caſatæ deferendam tradit. Hunc conuiuis interpoſuerat, inſidiatorem, & præſidis procuratorem, quo minor ſuſpicio oriretur. Lezus omnia pollicetur, angebatur vero ſperatam prædam interceptam, ſibi etiam ſuam ex eâ portionem periſſe. Hinc irritæ ſpei ægrimoniam ad amicitiæ oſtentationem ſimulandi callidus vertebat: Caſſanus inimicos deceptos gaudebat, magnitudinem tamen animi præferebat, Lezus ſua damna dolebat, cum alieni mali ſe cauſa triſtem fingeret. Reliquum noctis in mutuo patris & filiorum officio conſumptum eſt. Filij omnia patri relinquere, ſibi nihil niſi obſequium in patrem ſumere, ille omnia aſpernari. Certamen illud conſcijs pene riſum, ignaris lacrymas mouit. Thraſarrus Lezum conſpicatus, immodicum doloris & fletuum, agnato in aurem, notum Taprobanis dictum inſuſurrat. Ouem mari hauſtam lugeri à lupo. ſimul inuitus in cachinnum erumpit, ſed quod longius abeſſet, à paucis notatum eſt. Mane Lezus cum patera, & Thra-

ſarro

ſarro ad Caſaten, Caſſanus cum harnaſſo in continentem nauigat. Roxartes theſauro aſsidet, ſeruos niſi quorum opera ruri colendo neceſſaria erat, manumittit. Thraſarrus à Caſate humaniter excipitur, atque in intima penetrat, per ſeruos & libertos arcana diſcebat. Caſatem nemo amabat, niſi quem rapinæ ſocietas temporarium feciſſet amicum. Miniſtros fidos auari paucos, ſæui nullos habent.

Haud ſegnius bellum apparat Caſſanus, quam rebellionem ſuaſerat. Arma coemere prima cura fuit, illa noctu ad vicinum nemus vectabantur, deinde abdebantur. Exulum plurimi per Indiam vagi, Caſatæ ſæuitiam fugitantes in cauſam tracti. momentum attulére Malacenus & Cambaius reguli, Caſſano hoſpites & amici, Caſatæ infenſi. Æthiopicam enim potentiam ſibi grauem ſuſpectamque frangi optabant, Inſularium libertati fauebant. Caſatem ob mores, & rapacitatem priuatim oderant. Simulatis igitur inimicitijs, auro Caſſani militem cogunt, claſſes parant, ac in vnum portum omnes conueniunt, mirantibus militibus ſe in mutua vulnera auctoratos, inopina pace iunctos. Aderant reguli, & re expoſita omnes in Caſſani verba adigunt, eademque hora ſolutis anchoris in Taprobanam nauigant. Summa ſpei in celeritate, Ciacam appulére ædibus Caſſani propinquam, & quia Æthiopica ſigna præferebant, ſine pugna admiſsi ſunt, caſtra firmant, conſcij intellecto claſſem adeſſe, promptiſsimum quemque ira atque odio recentem incitant; Caſſani vires extollunt, Indica, Perſicaque auxilia pollicentur, longo maris tractu abeſſe Æthiopiam, ipſam male concordem; ſub ignauo rege finitimorum pulſari bello, Caſatem ante tolli poſſe, quam eo nuncius pertingat. Denique minas admiſcent, acerrimos audendi ſtimulos: ſi quis patriæ defendendæ defuerit, pro hoſte habitum iri Magno numero confluunt, armantur, centuriantur, exercitus tironum, ſed ira, odio, neceſsitate, ardore vltionis, cuius ferociſsimus eſt

XV. *Delectus Caſſani & profectio.*

impetus par veterano. Pleriq́ue profitebantur, vnicum vitæ & mortis ſibi fructum videri, Caſatæ ſupplicium. Tribuni & centuriones ex magnitudine cladium, quas perpeſsi erant, & menſura odij legebantur. Concionem Caſſanus conuocat, & nouitate rerum attonitos affatur. Nec veſtra, commilitones, virtus, nec mea ſors longam orationem poſtulat, manus & arma res noſtræ poſcunt. Contra hoſtem dicere ignauiæ eſt, ferro feriendus eſt. Viperas & phålangia non accuſamus, ſed affligimus, conterimusq́ue. Auaritiam, & ſæuitiem ſenſiſtis, armatos eadem timere nefas, vlciſci virorum eſt. Si veſtrum ſic quiſquam eſt, nullam à tyranno paſſus iniuriam, armis abſtineto, caſtris excedat. Si omnium vna cauſa eſt & ſcopus: vicem iniurijs reddere, lanienam vitare, libertate potiri, fortiter pugnemus. Exiguus Caſatæ miles, ſtipendio fraudatus, pro auaritiâ inuiſi ducis arma non capiet. Hæc arma ego vireſq́ue exuſta domo paraui, neſcijs nobis agendum fuit, ne vulgato ſecreto inter initia conatus noſtri conciderent. Duo nobis neceſſaria ſunt, Celeritas vt incautum imparatumque opprimamus, dein Diſciplina, parendiq́ue cura, ſine qua nec caſtra ſeruari, nec victoria teneri poteſt. Meum & filiorum munus eſt vigilantia, & labore anteire. Lenta ſunt, & odioſa verborum imperia, militiam tolerare monſtrabo, non iubebo. Laboranti nemo iraſcetur, periculis meis nemo inuidebit. Curate corpora, præcipitate moras. Dictum ac factum Spes libertatis in propinquo ſitę, & vindictæ dulcedo inceſſerat animos, noctes dieſq́ue iter faciebant, laborem ſuſcepti facinoris magnitudo fallebat: die tertia in conſpectum Biræneſ venere (nomen hodie vrbi eſt Biraen) nemo ad pugnam egreditur, nemo caſtrametantes, munienteſue infeſtat, quare nocturnam eruptionem veriti, altiore vallo caſtra præcingunt, excubias intendunt, inſidias idoneis locis abdunt.

XVI. *Obſidio,* Data fuit illa ſecuritas non ignauia Caſatæ, quippe bonus militiæ impigerq́ue laboris. At in re ſubita cuncta

cta erant formidini, ne à ſuis deſereretur, quibus inuiſú ſe non ignorabat, oppido metuebat. ad primum tamen rebellionis nuncium duas celoces in AEthiopiam miſit, auxilia poſtulatum. Militum erant varia, & turbulenta conſilia. quippe in ocio, aut leui opera habitos, vt aſſolet in vrbana militia, ſupra odium ducis, nouus muniendi labor, excubiæ, pericula diuerſos agebant, quæ quod inſueta eſſent, etiam iniqua putabantur. Conſilium, vt inter turbidos, placuit, quod erat deterrimum. Vt occiſo duce, theſauro & vrbe direpta abnauigarent. Iamq; turma coiuerat facinus auſura, cecidiſſetq; ſuorum ſcelere Caſates, ni furentibus Sobarem tribunum caſus obtuliſſet; illum bonis artibus, comitate, & liberalitate in vulgus gratioſum, propoſiti ſui certiorem faciunt, vt imperium capeſſat, hortati, diuites in Indiam, aut patriam ituros. Non erat prauis conſilijs aptus Sobares, perfidiam deteſtatus, negat fieri poſſe quod animo agitarent, Caſatem valida clientum manu cinctum, domi munitum, non poſſe facile occidi, milites in tanto negocio non fore concordes, ciues extrema veritos, arma capturos. Nihil accidere Caſſano gratius poſſe, quam vt ipſo ſpectante mutuis ſe vulneribus conſumant. Verum vt cædes, direptioque ſuccedat, quem exitum fore. nēpe in patriam redeuntibus, tanquam ſceleratis cruciatus & mortem paratam. In Barbarorum regna proficiſci, fluxæque fidei, ſe & prædam committere poſtremæ eſſe dementiæ. Reges Indiæ ſcelerata ſpolia mox ipſo in portú excuſſuros. Innocentiam apud eos tutam non eſſe, multo minus eos, quorum cæde gloriam, præmiumq́ue conſequi poſſunt. Omnium enim intereſſe putant, militarem perfidiam vindicari, Proin temeraria conſilia mutent, dum adhuc pœnitentiæ locus eſt, poſſe cælari delictum, quod adhuc intra cogitata & pauca verba ſteterit. Nullam obſeſsis niſi in concordia ſalutem eſſe. Hæc parum ſecundis auribus accipiebantur, obſtinati in prædam animi futurorum incurioſi, indignabantur ſibi obſiſti, quidam vix manibus tempera-

& in vrbe conſpiratio.

bant, inter hæc Pharnaſſus portum clauſurus ingreditur:tum deſperata fuga, ferociam poſuere, & quaſi captiui ad obſequium redicre. Tantum in bello caſus valet, optimis & fortiſsimis conſilijs crebrò potentior. Nihil victoriæ opportunius, quam eodem tempore terra mari que hoſtem claudere, at verò tam rectum cõſilium infauſtos euentus habuit,ſeditione enim per metum grauiorem oppreſſa, victòria dilata, libertas iterum bello amiſſa eſt.

Caſſano ſuadebatur, peteret ſibi Caſatem tradi, præſidio incolumitatem promitteret, & prædam. Sed vir ingens animi, dum perfectam victoriam vult, dum ſpe omnia complectitur, nihil ſtringere valuit, nimiam præſumptionem damnante fortuna. Dum hoſtem ad contumaciam cogit, longum bellum acceſſit,cuius finis non libertas fuit,ſed præſidis mutatio.

Ne porro vrbem natura, manuque firmatam ſine profectu tantus exercitus obſideret,excitatis in gyrum propugnaculis, pauciſque ad obſidionem relictis, cœtera oppida, portuſque in poteſtatem redigit, munit, annona complet. iam enim AEthiopicæ claſsis fama allapſa curas intenderat,quam inutilem reddere occluſis portubus cogitabat.

XVII. *Prœlio victi. Æthiopes* Belli Taprobanæi rumor Moſambum valde ſollicitum habuit. Perſæ & Indi conſpiraſſe dicebantur, nemo credebat Caſſanum incendio domus ad incitas redactum, tantam rem fuiſſe auſurum. Manicongus occaſionem præ manibus eſſe iudicabat, qua corrigerentur, quorum neglectu morum inſula ciuiſſet. Caſatæ cuncta imputabantur, nec ab amicis defendebatur, quin illi quos maxime coluerat, accuſabant, ne conſortes fuiſſe viderentur, officia enim ſuis commodis plerique æſtimant, & periculoſæ familiaritatis ſuſpicionem etiam, per amicos calcatos fugiunt. Omnium magnatum cura erat, ne amico adhærerent, in quem regiæ ſeueritatis fulmen vibratum iri opinaban-

bantur. Etſi enim telum illud feriat vnum quem deſtinauit, proximos tamen afflat, ſternitque. De belli duce deliberatum diu, proceres regi perſuadent, Manicongum fratrem cum libero, abſolutoque imperio mittat. Non poſſe ſub minore duce tantam molem regi. Bonum omnino conſilium, bono animo à rege acceptum, prauo datum, nec enim illis aut ſalus publica, aut honos Manicongi erat cordi, monitorem, & cenſorem abeſſe volebant. Verebantur ne rex in belli apparatum intentus, conſilijs, iudicijſque fratrem præficeret, non parſurum noxijs. Peregre eum periclitari malebant, quam domi præſidum delicta punire. Quà in re miſerari ſortem regnantium fas eſt, quibus cum recta conſilia dantur, in prauum tamen finem detorta ſunt. Manicongus celerrime ducentas naues contrahit: certatim veterani olim exauctorati nomina dabant, tãto duce in noua pericula prompti, ex prouincijs Indo vicinis centum onerarias, partim mercenaria manu, partim commeatu ſtipatas adeſſe iuſſerat: vt ſi longa nauigatione morbi increbreſcerent, aut torrente ſole cibaria vitiarentur, ſupplere legiones, & alimenta miniſtrare poſſet. Trecentis igitur nauibus ante portum Biſnenſem ſtetit in anchoris, miſsis hinc ad Caſſanum legatis pœnitenti clementiam, obſtinato potentiam oſtentat, pœnas minatur. priuatim etiam promiſſa prœmia, ſi pacis auctor eſſe vellet: monet ne extrema velit experiri. In poteſtate Inſularium eſſe ſupplicium Caſatæ, vel abſolutionem: ſi pacem amplectantur, primo quoque die iudices daturum. tyranno ſublato belli cauſam non eſſe. Præterita excuſari neceſsitate, ſi perſtent in ſententia, nouas offenſas contrahi, quæque defendi poterant, in crimen verti. Non iraſci regem miſeris, qui quouis modo à miniſtri ſæuitie ſeceſsionem fecerint. Proregis ſcelere, non indignatione ſubditorum iuſta maieſtatem regnantis eſſe læſam. Perpenderent hac regio imperio inſulã ſaluam eſſe non poſſe. Ante ſub nomine libertatis factionibus mutuis, cædibuſque ſæpe

ſœdatam, donec aut proprijs tyrannis, aut Indorum ſuperbiæ ſubiugaretur, ab his malis non niſi Æthiopum armis defendi poſſe. Præſides hucuſque leui manu rexiſſe, vnius crimina, delinquentis ſupplicio pianda, venire ſe Inſulæ ſeruatorem, Caſatæ vindicem. Regias etiam literas oſtendebat, de Caſate atrociter, de Inſularibus benigne ſcribentis, eorumque ſalutem fratri commendantis. Nil mouebant illa Caſſanum, omnia ſuſpecta reddebat legati ingenium ſimulationis expertæ. Literæ regiæ à Manicongo præſentibus accommodatæ, exhibebantur, puram enim à rege chartam acceperant. Timebatur etiam Manicongus, mutabilis, irritabilis, ambitioſus, nec auro inexpugnabilis. Bellare, quam cauſam dicere tutius putabant: præcipue Caſſanus, qui conſcius ſibi audacis facti veniam deſperabat, quę vt in preſens daretur, in poſterum tamen ſuſpiciones, atq; diſcrimina non defore Nam perdere volenti quæuis cauſa ſat eſt, etiam nulla. Rara ex magnis offenſis reconciliatio, blandiente vultu, alta mente iniuriæ conduntur. Reſponſum igitur legato: iamdudum ſe tyrannide oppreſſos, iniuſto nunc bello peti, fatente Manicongo, ſi verbis animus conſentiat, Caſatem ad ſupplicium dedat, tum de pace acturos. per caſtra atrociora ſpargebantur; iuſſos omnes ſe regis arbitrio tradere. Priuatim Caſſanus renunciat: Non poſſe ſuorum iras iuſtis cauſis incitatas, & metu deteriorum attonitas mentes facile componi. Crudo adhuc dolore mentionem pacis, proditionis inſtar haberi, tempore, bellique moleſtijs animos detumeſcere; ideo facilius factu fore, quo plura in ſe beneuolentiæ, in Caſatem iracundiæ ſigna experirentur: ſe non niſi ſpe pacis iratis ducem obtuliſſe. Pacis cauſam ſemper acturũ. faciebat iſta non ſpe, aut cupidine pacis, verum vt hoſtis lentius ageret, ſuis animus creſceret, claſsis per æſtiuos calores, aut lue, aut fluctu ſolueretur, deniq; ſi bellum improſpere cederet, leuiore fato defungeretur. Æthiopem gemina coquebat cura, portus alicuius occupan-

cupandi, & Caſatæ liberandi. Caſſanus victoriæ ſpem in eo collocabat, ſi omnibus clauſis ad incerta maris hoſtilis claſsis fluctuaret. Poſita ergo ſimulatione Manicongus centum nauibus Ticonem, totidem Baconanam vrbem obſidet, centum in Anchoris ad Biranem occaſioni intentas tenet, Caſatæ per vrinatorem (aliæ viæ occluſæ tenebantur) indicat, portus nulla potiundi ſpe ſe obſidere, diſtracto autem ad eorum defenſionem Caſſano Biranenſem tentaturum, iubet eum paratum eſſe. Obſtitit Caſſani vigilantia, nempe ducentos vrinatores obſeruare portum iuſſerat, qua an[...]uſtiſsimus erat, hi nuncium per vices excubantes intercipiunt, & conſilia prodere cogunt. Frequens eſt eo loci hoc hominum genus vnionum piſcatu exercitum. Alium deinde vrinatorem mittit Caſſanus, qui nunciet Caſatæ, vti audito ſono prælij eruptionem faciat, negligentiæ deinde ſuſpiciones auget, palam militem aliò mittit, clam noctu reuocat, alios aliunde accerſit, quantum in aperto ſocordiæ, tantum induſtriæ clandeſtinæ exercebatur. In prætoria excubabat dux ipſe, adnatantes noctu cymbas ſpeculatorias, quaſi per incuriam dimittebat. Quadam nocte tres celoces circa prætoriam erant, rogat ipſe Caſſanus: Quinam & vnde? Reſpondentibus, amicos eſſe, imperat, Tacite remigent, ne nauarchorum quietem turbent; Omnia ad AEthiopem referebantur, qui alienæ ignauiæ fiducia, centum naues adducit, ita curſum moderatus, vt aurora ſurgente adeſſet. Portus extra intraque latior, medio arctatur, hic paucas naues Caſſanus collocarat, cæteræ inter vrbem, & anguſtias paratæ ſtabunt, dum AEthiopes inuehuntur, priores illæ, vt iuſſæ erant, fugam capeſſunt, hoſtes inſequuntur, iamque centum in anguſtijs erant, aut vltra prouectæ, cum vtroque ex littore, quæ Caſſanus milite & tormentis munierat, frondibuſque obtexerat, canere claſsicum, naues quæ fugerant, proras [...]uertere, è terra ſaxa grandia, ſagittas iacere, pra[...]a

manſerant, malè de ſe iudicatum arbitrati, fremere, & ab Aronio cui vices ſuas mandarat Ceringius, flagitare, commilitones ſequi & pugnare pro patria liceret: ignauiſsimus quiſque verbis ferox, queri ignominia ſe ſociosque notatos; nam Ceringius per imprudentiam dixerat. Ex virtute ſe delectum facere: itaque qui remanſerant ſe poſthabitos indignabantur. Magno documento hoc ducibus eſt: Ne alios ita collaudent, vt de cæteris malè exiſtimaſſe videantur. Grauis eſt aliena laus inuidis, cui ſi proprius contemptus adiungatur, quaſi contumelia affecti ferociunt, maximè milites, quorum glorioſa iactantia paſsim ridetur. Aronius importunitate flagitantium victus, & periculum abeſſe ratus, trecentos emiſit. Solitudinem conſpicati duo Aethiopes ſerui, ſcapha noctu fugere, atque deinde ad victam claſſem delati ſunt. Oſtendunt Baram poſſe capi, creditum eſt popularibus, & conſentientia narrantibus. Indicta in noctem expeditio, præmiſſæ cymbæ profunda maris explorarunt. Militum alij portum obſeruant, alij in terram expoſiti mœnibus propinquabant, tum repertas in portu naues aggreſsi clamorem tollunt, Aronius cum promptiſsimis ſuis auxilio venit, prelium atrox luce adhuc maligna, verùm dũ ad mare feruet pugna, incuſtodita mœnia ſuperant, qui eò miſsi erant; quo comperto Aronius ſiue deſperatione veniæ, ſiue pudore vrbis amiſſæ, in agmen Aethiopũ erũpit, & purpurato quodã prope Manicongum occiſo, ſcutũ illius eripit, ſuũ enim acerum, ac graue pilis geſtare non poterat, multis deinde telis petitus ad ſuos militari ſe gradu retulit. Miraulo virtus fuit, vita promiſſa eſt, ſed contẽpſit. Aethips vt beneuolentiã oſtentaret, abſtinere ſuos pugna iſsit, occupata enim vrbe fruſtra ſanguinem fundi, ita ui ſupererant, ſeſe dediderunt. Non idem Aronio anius, in angiportum ſe receperat, arma retentabat, iſſus à duce chirurgus, qui vulnera obligaret, addito ogio; caros regi eſſe viros ſtrenuos. & dignum ſe ilbeneficio oſtendit. Torques annuloſque gemmatos, qui-

quibus more patrio ornabatur, medico donat. Nihil ſibi his opus eſſe dictitans: Salua patriâ recuperaturum opes, ſi euertatur, ſqualore & luctu ei parentaturum. Atque ita liber cum ſocijs dimiſſus eſt.

XIX. *Inſulares victi.* AEthiops victoria lætus, vrgere ſucceſſus, dedecus abolere, in denſa ſylua redeunti Ceringio inſidias collocat, in quas ille fatorum Baræ ignarus incidit, diu atrociterque æquo Marte certatum, donec feſsis recentes, vulneratis integri æthiopes ſuccedentes, circumuenienteſque hoſtem impulère, pacta incolumitate in deditionem veniunt. Ceringius tumulum prope mare occupat, milites ſuos increpat, mancipia, pecudeſque appellitans, dein clypeum rotans ad ſingulare certamen AEthiopas prouocat, cum nemo vnus ſe pugnæ crederet, binos ternoſue magna voce laceſsit, metum ignauiamque obiectans. Manicongus clementiæ obſtinationem vincere ſtatuerat, verum ne agnoſcere timoris probrum videretur, ſuiſque animus caderet, è ſatellitio ſuo Arabem agilitate corporis inſignem, leui ſcuto, gladioq; armatũ feſſo iam & ſitibundo immittit, iuſſum nõ lędere, ſed aſsilire, refugere. Ceringius in laſsitudinẽ datus, grauis armis, nũc inuitat hoſtẽ, nunc magno impetu fruſtra inſequitur. ille facile ictum exit, atq; alia parte vulnera intentat: ſpectabant æthiopes, & captiui, ſol ardẽs arenas incenderat, dum certamina trahuntur. Arabs ſucco herbę more patrio æſtum ſitimque temperabat. Ceringius arente linguâ nec verba iam promere valebat, ad mare progreſſus, genuum tenus infra aquas, rotatuenſis hoſtem vocabat. Nunquam maiori ludibrio, aut miſerationi virtus fuit. Arabs poſitis armis, aqua areniſque miſerum ſpargebat, ingemuit heros, ablutisq; ſalſa faucibus exclamat: ſiti emorior, non timidi æthiopis dextra: Hoc nũciate Caſſano. Simul ſcutũ ac gladium in modum decuſſatæ crucis protendens, numen adorabat: lacrymas tam miſeranda ſpecies cunctis excuſsit, Dux, reuocato Arabe, è captiuis matronam miſit, quæ potu deficientem recrearet, nec aſpernatus eſt. Magni enim

enim viri eſt, vitam non ſponte proijcere, ſed virtuti impendere, quare Ceringius nec aqua ſalſa, nec ſiti, ſed pugnando mortem petiuit. Miſſus deinde ad eum in arena ſedentem familiaris ſacerdos, qui nomine victoris vitam ſuaderet. Vt viuere velis, frater te regis, & imperator orat. Vitam oranti donaret, nunc etiam prœmia vitæ tua virtus meretur. Vita tua patriæ vtilis eſſe poteſt, ſiue illa ſuis legibus, ſiue ſub regis viuat imperio, mors illa nullum precium habet, & mortis decus inane eſt. Te nemo ex noſtris occidet, nihil nobis ſanctius eſt virtute, nihil viro forti honoratius, quem etiam in hoſte veneramur. Vade igitur liber, & captiuos dono tibi habeto: cauſam non probamus, inimicam regi, talia ingenia iniurijs aſperata rebellaſſe dolemus, &, cum per ipſos licet, ignoſcimus: omnibus conuiuium exhibet, arma prædamque reddit. Caſſano nunciari iubet, rectiùs facturum, ſi regi pœnam Caſatæ permitteret, quàm eam tot ſuorum cædibus moliatur. Ceringius ad hoc aſperis ac blandis iuxta inuictus. Permiſſæ vitæ gratiam non habeo, cùm mors ſit optatior. Innocentiæ teſtis tute ipſe es, qui veritus es occidere. Bellum damnas, & inſontes perſequeris. cur tot innocentes perdis, vt vnũ ſerues nocentem? ſi punire Caſatem cogitas, ad hanc rẽ nos adiutores habes, impedire commilitones nõ debes. qui tibi in mentem venit, tot Aethiopas perdere, in diſcrimen claſſem adducere, vt hominem improbum tuo potius ferro, quàm noſtro eneces? ſi in me ſeruando iuſtus es, cur in aliorum morte tam es iniquus? Memine- s belli iniqui aliquando exordia læta eſſe, exitus ſemper calamitoſos. His dictis Ceringius in caſtra, Manicongus Baram profectus eſt. Multa ſecum reputans, cũ ... ra gente bellum eſſe: & miles haud quaquam alacer, ... d tanquam victus fixis humi vultibus incedebat.

Quam vim habeat clementiæ, comitatis & munifi- ... ntiæ opinio, euentu claruit: pl... s Aethiops egit blan- ... ijs, quàm occupatione Baræ: Caſſanus magis indolu- ... bonum conſilium à ſe Manicongo datum. Milites XX. *Turbæ in caſtris.*

qui

qui cum Ceringio, Aronioq; venerant, illum ferre laudibus:illi ſe vitam debere, ducum ſuorum accuſare contumaciam. Quid non ſperandum viris fortibus, ſi pro tali duce vulnera accipiant, qui in perduelles tam ſit mitis larguſque? Non opus eſſe labore & ſumptu:tot periculis non agi aliud, quàm vt Caſatæ pœna differatur. Baram captam, cæteras vrbes in periculo eſſe, nouam claſſem aduentare. Denique vt omnia ex voto ſuccedant, inſulam impedita cultura in ſolitudinem redactum iri, patriamque pro cuius libertate certetur, deſerendam.Melius obtemperare regibus,quàm extorres toto orbe ſeruitum ire barbaris:nec deerant, qui de pace legatos mittendos eſſe dicerent. Tam eſt mutabile, minimiſque momentis amat, oditque vulgus: Minima libertatis illi cura eſt, vbi clementem dominum ſperat, nec hoc proprio tantum vitio, ſed etiam regentium. Nam vbi ſumma libertas eſſe putatur, emolumenta ferè in magnatum domos deuoluuntur, plebi ſpecies inanis,& in irritum cadentes querelæ relinquũtur, ſi bello vincat, diuitum ſunt prouinciæ & opes. Hinc præſentia & certa, quàm futura, & ambigua malunt: quin multi præſtantius iudicant, ſeruitutis incommoda regia maieſtate leuare, quàm ciuium potentiorum ſuperba limina colere. Hoc rerum ſtatu,ſi legatos Manicongus continuò miſiſſet,illa dies bello finem dediſſet.Mirum in modum inconſtantia plebis duces fregit. Metus erat, ne clementiæ ſimulatione ardor pugnandi exſtingueretur, vulgus in ſeruitutem, principes ad ſupplicia raperentur. Suſpectabant nobiles olim Caſatæ familiares, quos tardè in cauſam tractos Caſſanus contemptim habuerat. Illi nulla in præſens gratia, aut in futurum ſpe, transfugia meditantur, momentum victoriæ facturi, pluresque tractaturi. Nam apud Aethiopem ſtatim fauor, & præmia. Ea cauſa rebellio ferè breuis eſt: qui enim facinus auſi à principe deſciſcunt, maiora, quam dari poſſunt, ſperarant, quibus ſi excidant, celeri reditu in gratiam ex diuerſo eadem poſtulant,

lant,

lant, ſocioſque deſerant, & produnt. Inter has turbas facto ſilentio Ceringius in hęc verba locutus eſt. Si tam cauti contra Aethiopum dolos, quàm contra vim fortes eſſemus, commilitones, Baram ego tenerem, nec animos veſtros error exitiabilis occupaſſet, ante captiuos, quàm victos. At ſunt alternæ vices bellorum, proſpera aduerſis temerantur, & rurſum aduerſa proſperis leniuntur. Vir fortis, vtraque expertus, in his modeſtus, in illis interritus eſt. Ardore pugnandi peccatum eſt, commilitones noſtri dum in communia pericula properant, fortiter hoſtem feriunt, latus alterum vulneri nudarunt, peccatur tàm nimia fiducia, quàm metu. Amor patriæ inconſultus errare potuit, odium mereri non debuit. Si meum tamen, aut Aronij crimen eſt: morti noſtræ vos manum cõmodate, quas hoſtis pernegauit, ſimulque deducta veſte, nondum coalitum in pectore vulnus oſtentabat: inuitabatque percuſſorem, orto inde gemitu, alibi etiam truci ſonore, prout quiſq; pacis, aut belli erat appetens, orationem pertexuit. *Mortem* non deprecor, quam in illa fatali arena operiebar, & tardantem prouocabam. Vnum hoc precor, ne in caſtris veſtris laudetur Aethiops. Inſidioſum eius beneficium eſt. Dona non dona. Simulatione clementiæ cunctis necem ſtruit. Occidi me armatũ noluit, vt cruciaret vinctum, vt Caſates in me tormenta dictaret. At nos amat, odit tyrannum. Mirum ſanè ſi hominem ab orbe condito importuniſsimum poteſt non odiſſe. Odit igitur Caſatem. Quid igitur illa trecentarum nauium claſsis, niſi vt veneficus ille liberetur? cur centum naues, tot militum virtuti veſtræ obiecit, niſi vt iueret Caſates? Si nobis amicus, tyranno hoſtis eſt, um deſerat, noſtro periculo vincendum, noſtro arbiio puniendum. Tyrannum deteſtamur, tyrannum paonum, vindicemque laudamus? Tanti regis fra, tanti dux exercitus, amiſsis centum nauis, ſemiuſtulatus fugit, & glorioſa vulnera pro ſate iactat. Miſsis quaquauerſum per inſulam prædoni-

donibus, rapina, cæde, incendio, libidine cuncta fœdauit. Niſi ducum prouidentia, virtuſq́; veſtra latronum globos repreſsiſſet, omnia in cineres conſediſſent. At Baræ clemens fuit. Imò inſidiator. Aronium cum paucis ſeruauit, reliqui, aut gladio periere, aut ſeruitutem ſeruiunt. Vnde ergò noua clementia? ab ira, odio, crudelitate. Non aliter vinci nos poſſe arbitratur. Caſſes explicat, eſcam illicem ponit, ſic fortiſsimas beluarum, leones & tigres Africa venatur. Paucos ſeruauit, multa millia, atque in his ſexum innoxium, ætatemq́ue trucidauit. Iram nunc obtegit, vt vim noſtram diſſoluat. Sed quid iſta loquor, Caſſanus libertatis auctor, patriæ pater, Caſatem ſpecie amicitiæ fefellit, donec arma præparaſſet. Noſtra arte hoſtis vtitur, blanditijs vtitur, vt arma extorqueat, captiuis illudat, & quod ſæuitiæ ſollenne eſt, pro voluptate occidat. Nihil vulgatius eſt, quàm beneuolentiæ velo odia recondere, vt auctiora promantur. iam olim iſta Afrorum diſciplina eſt. Olim per ipſos à nobis eſt Indica depulſa ſeruitus, ſed grauior à victoribus impoſita. Nec hoc queror, vſitatum eſt, ſolet fieri. Reges ſibi bella gerunt, auxilia ſuo commodo præbent, aut negant. Dominos poſt longa bella mutauimus, libertatis etiam nomen abolitum eſt, nunc Caſſani diuina prudentia, veſtro robore, libertatem puram, alijs nequaquam obnoxiam adepti, cur ſponte in ſeruitium reuoluimur? Antè verò quàm iſta videam, Aronius & ego in hoſtem proficiſcimur, ſi comites ire placet, quibus deditionis eluenda macula eſt, fortiter pugnaturi; ſin autem: fortiter caſuri. Secuti ſunt quaterna millia, totidem ſubmiſſa à Caſſano, vel ſubſidio laborantibus, vel in cumulum victoriæ.

XXI. *Æthiopum clades.* Medio Biræn em inter & Baram vico ignobili, ad amnem modicum, munitionem ſtruebat Aethiops, obſtructo autem, quà mari infundebatur alueo, fluuium tumefecerat, vt vicina Baræ tutiora haberet, ipſe caſtra ex propinquo infeſtaret. Miſſa ad opus dena millia, labores, & excubias inuicem obibant, eò proficiſcens Aroni-

[illegible] & Ceringius in lignatores mille incidunt, quos [illegible] armatos, ac incompoſitos facile trucidant, ad pręſ[illegible]turas caſtrorum pugnatum deinde audacia & ordi[illegible] Taprobanæi, numero hoſtes vincebant: verùm poſtquam ſubſidia à longè conſpecta ſunt, quæ feſtinando [illegible]m, quam pro modo paucitatis puluerem excita[illegible], diſlito rumore, cum vniuerſo exercitu adeſſe Caſ[illegible], fugere, tum cædes & lanienæ, centuriones qui ſiſtere fugientes conabantur obtriti. Fama gladio po[illegible], & timor panicus exitio fuit. Cæſa ſeptena [illegible]. Victoriæ ſæuitia cruda fuit, pueri etiam, ſerui[illegible]que conſoſſa, nec Chriſtiana lege, nec iure gentium victoriam temperauit: nempè hoc agebant, vt hoſti ſin[illegible]ationem clementiæ excuterent, ſuis ſpem veniæ [illegible]ærerent, atque ita crudelitate, quam vindicatum i[illegible]ant, deliquere, quare in poſterum etiam parum ſecun[illegible] fortuna ſunt vſi. Medicus qui nuper Aronio vulne[illegible] obligarat, iam moriturus, eum appellat, à milite no[illegible]r, atque duci ſiſtitur. Cui multa precanti Aroni[illegible] verbo occurrit: Moriendum eſſe. Iuraſſe ſe ne[illegible] *parſurum*. Ille vnum in vicem priſtinæ operæ ro[illegible], vt quando extrema neceſsitas adeſſet, ſibi Chri[illegible] miſteria permitteret: nec enim iureiurando ve[illegible] ita miſſum ad caſtra Caſſanus morte liberauit, A[illegible] crudele iuramentum auerſatus.

[illegible] erant Inſulares, quaſi dedecore ſe abſolu[illegible] Aethiopes parum à ſeditione aberant. Beluas il[illegible] dimiſſas aiebant, vt in ſeruitores ſuos irritatæ im[illegible]mius ſæuirent. Quippe duces in prima acie dictis[illegible]que atrocibus victoriam exercuiſſe viderant. Ma[illegible]ngus benignitate ſe vſum excuſauit, vt eos ſpe cle[illegible]tiæ diſtraheret, vinceretque. Erraſſe ſe quod [illegible] hominibus bellum ſibi eſſe putaſſet, laudabilem [illegible]er miſericordiam etiam in hoſtes iudicaſſe. Ho[illegible] naturam vitijs efferatam miteſcere beneficen[illegible] poſterum ſe velut in viperas, maleficiſque be[illegible]olis armis vſurum. At miles continuò captiuos, XXII. *Aethiopes* *mi tes* *fallit.*

inter quos pueri fœmineque,ad mortem depoſcit,manibus ſociorum parentaturos mactabant, tanta peruicacia,vt ſi negaretur,in facinus ſpreto imperio proruptuti viderentur. Ergo duces cenſuere permittendum quod vetari non poſſet: geminum fore ſcelus, ſi contra datam fidem, & ducis imperium deditios occiderent: non ſinendum, vt videant ſe iunctos duce fortiores eſſe. Manicongus aduerſum iniqua validus, poſtulata militum, ſenatuſque decreta,ad æquitatem examinare ſolitus negare perſtitit. indignum ratus alienum ſcelus imitari, & crudelitatem crudelitate pendere: idque militum arbitrio, quibus parendi tantummodo partes eſſent. reſpondet igitur, priuatos cæterorum dolores eſſe, imperatoris luctum publicum. ſociorum vltionem ſibi cordi fore. Ex captiuis multa prius anquirenda, quàm occidantur; ſpacium dent, & publicæ vtilitati, quàm iracundiæ conſulant. Vinciri dein omnes imperat, veluti quæſtiones habiturus: poſteà ſine noxa omnes demiſit, eluſa vulgi malitià quam vincere non poterat. Magnus planè imperator, dum contra minas exercitus praua poſtulantis, & contra metum conſilii ad inhoneſta conſentientis obdurat, & propoſitum tenet. Omninò diuinior & ſacratior quædam vis principes ſupra plebea ingenia,& cogitata extollit.

XXIII. *Status belli, & ducum cura.* Munita Bara, caſtris Caſſani ſua iungit Aethiops, velitationes crebræ, pugna vitabatur, nec recenti metu contractos victoribus obijciendos viſum. Vicinos eſſe volebat, transfugia & proditiones ſperabat, nuperæ commotionis non ignarus, e ſuis neminem ad hoſtes tranſiturum nouerat: quare moram ſibi vtilem, hoſti detrimentoſam nón dubitabat. Belli tamen tædebat, miles cædibus & morbis attenuabatur, non alacer in prelia, ad munia caſtrorũ lentus Clades iterata metum, ille mærorem animis attulerat, tarda ex diſſito auxilia, & aucta ſtrage inuoluntaria. Virum magnanimum calumniæ turbabant, quibus vberem materiam ſuggerunt caſus bellorum, etiam fœlicium. Omnia conſilia ad liberandi

Caſa-

Caſaten dirigebat, non amore hominis famam capta-[illegible]æ bellantibus prima eſt. Theſauro inhiabat,quo [illegible] Caſſanus potiretur, bellum diuturnum proſpiciebat. [illegible]num angebat, cum trahi bellu videret, quod pri-[illegible] impetu profligaturum ſe ſperauerat. Verſabatur ne [illegible] delectus rex haberet,pluribus locis caſtra pone-[illegible] ante omnia populi mutabilitate terrebatur,nec du-[illegible] erat,quin ſi clades acciperetur,aut inedia conflicta-[illegible] ipſe vt rebellionis auctor, & piaculum dederc-[illegible],omnibus ſuum periculum in vnum conuertentibus: In communi diſcrimine beneficiorum & meriti ratio nulla ducitur. Summo igitur in mœrore agebat. Rebel-les ſane tum primũ peccati ſui magnitudinem æſtimãt, [illegible] pericula ingruunt,premuntque. Qui verò à magi-ſtr[illegible] deſciuerunt, nunquã auctoribus defectionis fidi ſunt. Ead[illegible] in conſtantia deſerunt,qua ſecuti ſunt. i[illegible]a demũ extrema malorũ in illos recidunt,qui prima mo-uerunt. Vterq; ducum inuitus bellum gerebat, vultu & ſermone fiduciam præferebant. Qua in re miſerari libet mentis humanæ ancipites fluxaſq; curas, quæ timendo exitia ſibi fingunt, fatorũ ſuorum ignaræ: non euentura formidant, & improuiſo exitu hauriuntur. Omniu penè hominũ, maximè clarorũ inopinę, plerunq; etiam indi-gnæ ſunt mortes, vt de Manicongo & Caſſano dicam.

Atq; hæc in caſtris, maior in vrbe ærumna, fames & ſeditio. Caſates poſtquam ignibus extrema adeſſe ſig-[illegible]ſſet, nec poſſe ſuccurri videret, animo linqueba-tur. Tot criminum infeſta recordatio animum lancina-bat. [illegible]ræ oculis ludibria, cõtumelię, cruciatus. Quicquid [illegible] alios exercuerat ſupplicij, adeſſe rebatur. Scelerata [illegible] ſibi iudex, ſibi furia, ſibi carnificina eſt. Intempe-[illegible] mentis mores geſtuſque prodebant. Nunc ſtare [illegible], nunc celeri curſu prolabi, ſpectare præcipitia, [illegible]m explorare, rurſum mollitia ſolui in fletus: [illegible] cum præſidio cogitabat, [illegible]t nemo pare-[illegible]: neque enim vlli par moriendi neceſſitas. Perui-[illegible] tamen in mente auarities, aſsidere auro, gemmas

XXIV. *Tyra[n]ni pericu-lum & latebra.*

inſpicere, tractare cælata pocula, quædam efferre, alia recondere, rationes putare, œconomum culpare. Ea ſola exitij imminentis anxia voluptas. Adeò pollent roborata vitia, vt nec mentem à ſeipsâ abalienatam deſerant, & ſtultos malorum ſuorum materies delectat. Omnia pauitantem in præſens numen abſoluit, tætriora deinceps auſum, maius in ſupplicium reſeruauit. Thraſarrum Caſſani filium obſequij ſpecie ad Caſatem iuiſſe, ſuprà dictum eſt. Eum frater Roxartes monuerat, ante Calendas Martias periculo ſeſe ſubduceret, diutius ſeditionem cælari non poſſe. Adoleſcens iuuenili gloria, ſeu vt Caſatem plus angeret, ipſa audacia lætus in extremum vſque diem moratus eſt: at magno temeritas illa ſtetit: ea enim nocte quæ Calendas ante it, cædes in vrbe commiſſa in cauſa fuit, vt portæ occluderentur, dum auctor inquiritur. Tum demum in acie diſcriminis Thraſarrus imprudentiam ſuam damnauit. Seruulus ad portam præſtolatur, ipſe domi equum paratum habet, vt primus exeat. Iamque meridies erat, quando dromedario aduectus Aethiops, ingenti clamore Caſatæ alloquium petit, atrocia, nec moram ferentia ſe ferre præfatus, quæ ſimul excubitor ad præfectum, ſeruus ad Thraſarrum refert, ille continuò ad Rotarum profugit, ærarij præfectum, amicum & conſcium, publicè ſimultates oſtentantem, colloquia ſine arbitris habebant: inimiciſsimos putabat Caſates: Thraſarrus vti exuſta domo pauper officium à præſide exquiſita ſimulatione petierat, obſtiterat palam, non ſine conuitijs Rotarus, ſi occurrerent ſibi in publico vultus inuicem truces, nulla ſalutatio, Caſates conciliare conatus fuerat, ſed nullo effectu: Rotari porrò intererat, latere Thraſarrum, ne tormentis laceratus impatientia doloris conſcium proderet. Ad prodendum illum minacibus edictis ciuitas vrgetur, indici prœmia promittuntur. Rotarus ad inquirendum operam ſuam offert, probante Caſate, quod inimicus omnia diligentius, atque aſperius videretur executurus. nulla domus inta-

intacta peruestigantibus fuit, magno ciuium timore: ſeruiiam latuere, vnus tamen initio obuius centurioni ad quæſtiones raptus, ſimul cum illo, qui dominum occiderat, cuius cauſà portæ clauſæ fuerant. Eodem loco eodem tempore torquebatur, alter quia dominum occiderat, alter quia latentem indicare noluerat. Equuleo, vngulis, lento igne parricidium, & fides puniebatur, & poſtquam interfector domini ſatis pœnarum dediſſe viſus eſt, alter verò ſeruator domini ad prodendum nulla vi adigi potuit, poſtquam conſtantię carnifices ceſsere, ad eundem ignem damnati ſunt: ita in iudicijs non merita, ſed emolumenta, affectuſq; dominantur. Hemantem tamen (id Thraſarriarum ſeruo nomen fuit) populi, militumque miſeratio, deinde indignatio, ac violentia ſupplicio exemit. Tanta in Hemantefides, quia facilis illi apud beneuolum dominum ſeruitus, alter in cædem exarſerat, crudelis imperij, & contumeliarum impatiens. Aſperi truceſque heri tot habent hoſtes, quot ſeruos. comes ac mites parentum inſtar diliguntur.

Toto igitur obſidij tempore Thraſarrus apud Rotarium latitabat domi, & foris quærebatur, cum iam vrbem commeatus deficeret, ſub tenebris veſte mutata ſolus ad Rotarum conſilij cauſa venit Caſates. Ignotum conſiſtere ianitor, dum domino denunciaret, iuſſerat, mox dominantium tamen lente proſequitur, per obuia conclauia penetrat, eoq; ingreditur, vbi Thraſarrus & Rotarius epulabantur. Inopina re ſilentium, ira, metus vtrinque. Perculſus vehementer Caſates: nam Rotarium vnicum habere ſe amicum exiſtimabat: Tantum dixerat is: Et hæc fides eſt? Rotarus verò: Quæ iſthęc dementia eſt, poſt tot ſcelera nominare fidem? Fidus ego an tu? Quid queri velis, ſat ſcio. Omitte non profecturas voces: Si ratione eſt ira valentior, & dulcior vindicta, quàm ſalus: age mutuis ictibus cadamus. Si huic parcis & mihi, cras tibi apud Thraſarri patrem ſalus, vita, libertas. Paciſcuntur ergo, vt Thraſarrus patri, Caſa- XXV. *Caſates, & Thraſarrus liberati.*

tes Manicongo incolumis tradatur, deditio ſequatur, trium enim dierum cibaria duntaxat, in vrbe ſupererant Legatum Caſates, Hemantem iam libertum Thraſarrus mittit, petuntque, vt quæ egerint, rata habeantur. Mirum dictu, in cõſilio Taprobanorum nemo præter patrẽ, & fratres pro Thraſarro fuit. Non eſſe dimittendum in gratiam pueri tyrannum dictabãt, miniſtros ſcelerum puniendos, vnius adoleſcentuli temeritatem non eſſe toti prouinciæ luendam. Alios à tyranno occiſos, alios in prœlio cecidiſſe, ne tyrannus viueret, ſanguinem virorum principum vindictam clamare. Multos eſſe apud Manicongum captiuos, neminem tamen incolumitatem ſuam Caſatæ commutatione quærere. Thraſarrum inſcia patria fœdera pangentem, legibus eſſe coercendum, ne regnante patre omnia ſe poſſe arbitretur, Caſſanum etiam patriam filio præponere oportere. Tantum erat odium tyranni, nec occultus in Caſſanum quaſi præpotentem liuor. Vulgus enim ſemper potentibus inuidet, nobiles æmulantur. Plerique in libertatis aſſertores maligni ſunt. Ingrata ſalus habetur, cuius auctores gloria in altum tollit. Quicquid eminet, qui infrà ſunt, ſuſpectant, nec beneficia penſant, præteritorum obliti, improuidi futurorum. Mori ſe malle, quàm euadere Caſatem iactabant, optare eum vel per ſua latera transfigi. Caſſanus vultu iram tegebat, Caſatæ publicè renunciari iubet, omnia ſe patriæ, etiam filium poſthabere. Filio mandat, fortiter ferre, quicquid euenerit, Deo ſeſe committere. Chriſtianum, quò propius abeſt à morte, eò felicitati viciniorem fieri. Paganos gradu vitæ exitum, ac Dei conſpectum contingere. Deinde vultu & voce hilari conſilium dimittit, patres libertos verò proceres priuatim aggreditur, aurum gemmaſque largitur, plura promittit. Vicit iram inuidiamque auarities. Pax conficitur, pacta firmantur. Claruit itque omnia auro, etiam odia liuoremque eſſe venalem. Caſates Manicongo mittitur, vrbem Caſſanus ingreſſus, filium ira, gaudioque frementem ſalutat: inter

am-

amplexus ſolum hoc inſuſurrat: Cæſaret offenſam, proverbiis agere gratias, quod ille, quò ſimulatius, eo eloquentius pereat, verbis in locum veri affectus ſubmiſsis. Poſt iſta conuiuio proceres excepti, ſuppellex Caſani diuiſa.

Poſtquam profunda nox, & domi ſolitudo, filios ad ſe Caſanus vocatos alloquitur. Beneficia quidem parum imputanda, ab ea gratiam non mereri, qui reponat, durum tamen videri ſuum fatum, qui & tyrannidi odio, & patriam ſentiat ſeruator ingratam. Filium redemptum non ab hoſte, ſed à ſuis. Non odio Caſatæ ſalutem eius neglectam, ſed inuidia claritudinis mortem optatam. Suos inſuper labores, ſumptus, beneficia regni affecti ſuſpicionibus onerari. Recte cecidiſſe, quod auro vitia, non modo virtutes vincantur, patri filium venditum, non redditum meritis. Tam fœdo exemplo poſſe ipſum filioſque Manicongo venire. Inter æmulos omnia intuta virtuti, omnia proditionis & iniuriarum plena apud auaros. Improuiſas belli clades ſibi exprobrari, proſpera ignauiſsimum quemque ad ſe trahere, non duraturam in fide Iberum, belli incertos exitus, Indiæ regulos non niſi ſi... u popularium auxilia mittere, & ea tamen periculoſa libertati, ſuas opes tantæ moli impares. Proin ſibi & patriæ conſulendum. Sibi reditum ad gratiam patere, ſi cunctos præueniat, patriæ regium imperium conuenire, quæ libertate vti neſciat. Nec parum tamen bello actum. Volentibus redditam libertatem, quæ inuitis ſeruari nequeat. Improbis etiam pro noxa ſupplicium decernendum, & leniore imperio poſſe inſulam ...eſcere. Sibi quidem pacem fore intutam, facili vl... in ſubiectos, plus tamen regio iuramento, quàm ...arium leuitati credendum. Hunc in modum in... patria magnanimum virum dum tractat aſperius, ...b alienauit, regi conciliauit, didicitque ſuo malo ... viros non eſſe irritandos. Igitur Caſanus al... die conuocato conſilio de pace diſſerit, legatoſque

XX. *Pax ſ... cum ... thiope.*

ad Manicongum mittit. Pacem eſſe poſſe, ſi iuſtis iris ignoſcat, tyrannum & ſcelerum adminiſtros puniat, Melindum inſulæ preficiat. Secreto Caſſanum libertus excuſauit, atque incolumitatem pactus eſt. Melindus ab Aethiope cum plena poteſtate pacem facturus legatur: vir integer, vigilans, ſobrius, pietatis cultor inter primos, nemo vnquam tam carus Inſularibus fuit, annos viginti ſumma æquitate & prudentia prouinciam adminiſtrauit: & diſcedens diuites ſubiectos (rarum inter præſides opus) diuites, ipſe non ditior reliquit. Caſates quaſi regio ærario inutilem per calumniam amouerat, interea iudicio abſolutus, ſibi priuatus vixerat, ſecunda fama, niſi quod abſterſa calumnia manſit tamé cicatrix. Manicongus eum iuſſu regis in conſilium adſciuerat, atque in inſulam reduxerat, vſitato regum more, qui ſecundis rebus affectum ſuum ſequuntur, turbatis virtutem requirunt. Magno gaudio legatum, quaſi regem ipſum exceperunt. Pax in veteres leges confecta eſt. Additum tantummodò: vt omnium obliuio eſſet, Tyrannus ſupplicio afficeretur. Caſſanus iudicijs præficeretur. Hoc modo inſula ad veterem dominū relapſa eſt, ex præſidum arbitrio fortunam habitura.

XXVII. *Fratrum diſcordia.* Summa in exſpectatione Caſatæ ſupplicium erat. ille enim velut hoſtia, cuius ſanguine pax ſancienda erat, in vinculis ſeruabatur. nec ſe tamen deſerit: ad regem appellat, moram habiturus, nec dubium ius. Præſidum cauſæ ad regem pertinebant. Manicongus ſupremum ſibi imperium in omnes datum regio diplomate oſtendebat. verùm Caſates cum eſſet in flagrantiſsima regis gratia, priuilegium extorſerat, quò cauebatur; ne vlli reddere rationem cogeretur, niſi nominatim decretum rex aboleuiſſet. Dum illa aguntur in inſula, Manicongus intelligit, delationes ſemper in maius creſcere, ſeque regi ſuſpectum reddi. Domi ſuos ad explorádas res aulicas reliquerat idoneos, qui nō modò dicta & facta, ſed rumores etiā perſcriberent, qua præpoſtera diligētia, dū obſequiū domino approbare conātur, mi-

minuta etiam perſcribebant,&Manicongum turbabāt.
Capita accuſationum.Illum ſtudio bellum trahere,reg-
[illegible]s alteri,legionibus eum gratum eſſe, tribunos ſi-
bi conciliare,militi nimium indulgere,nuper victis cō-
giarium dediſſe, diſciplinam ſoluere, verſutum, vigi-
lem,inquietum,ambitioſum eſſe, & vt fidus ſit, certe
rege potentiorem haberi. Hæc,aliaque gignendis,atque
fouendis ſuſpicionibus fœcunda aularum ingenia:
nunquam promptiora quam cum innoxios in diſcrimen
vocant. Filius Caſatæ non ignarus rem parentis extre-
mo loco eſſe, ei ſcribit. Regis animum à fratre prorſus
alienum eſſe,nec tutum illi reditum fore:nec vllum niſi
ſe fidum illi ſupereſſe. Hæc petito colloquio Caſates
Manicongo refert, monetque ſibi adhuc theſaurum eſ-
ſe, quo bellum contra fratrem gerere valeat, ſi ſpes ve-
niendi [illegible] intellecturum. Si quid Taprobanis reſti-
tutum velit, poſſe id poſt victoriam fieri. Interim ipſe
filio ſuo omnia Manicongi conſilia manifeſtat,cum the-
ſauros in ſalarium in vſum belli reſeruare, militem de-
mereri,cum Indis fœdera inire,bello regem mox peti-
turum.Has literas filius regi anxio exhibebat, patrique
veniam impetrabat.Ergo rex accuratius arma parabat,
plura in fratrem dicebat,quæ cum ad eum aucta defer-
rentur, ille dum ſibi proſpicit,ſuſpiciones intendit, at-
que hunc in modum ſingulis nuncijs noua erant incre-
menta ſimultatum. Caſates in fratrum diſcordia ſalu-
tem ſuam ſitam eſſe putabat. Filius eius regē apud fra-
trem,& hunc viciſsim calumniabatur, vtrunque deme-
reri ſtudens, vtcunque caſus belli fuiſſet, in tuto futu-
rus. Tandem virum fortem , & hactenus iuſtitiæ tena-
cem calumniæ,ira,metus,ſpes regni,opum magnitudo
in transuerſum egit. Aurum quod reddendum erat do-
minis ſecum auehit,compoſitis inſulæ rebus in patriam
nauigat,nondum deliberato bello,anceps animi, regis
cognita fides,æquitas, & magnorum comes auſorum
pauor continebant,rurſum metus, ſpes, pollutum iam
præda ex ſtimulabant ad facinus.

XXIIX. *Augetur ſuſpiciones.* Medio in curſu celocem cum regis literis obuiam habuit, præter ſolitum amanter ſcriptæ erant, quod ipſum in crimen detorquebat Caſates, blanditias illas timentis & inſidiantis eſſe: cum ad illud caput ventum eſſet, quo iubebatur exercitum non in vnum, ſed diuerſos portus reducere, quaſi indictum eſſet bellum homo vafer accipiebat, diuiſo exercitu opprimi poſſe, iam regis animum notum eſſe, non poſſe Manicongum, niſi regnet, ſaluum eſſe. affectati regni crimen vna morte eluí: illa ſolâ regnantium ſecuritatem æſtimari. Nuſquam eſſe ſecurum, quem rex metuat, oderitque. Sanguinis eſſe infirmum vinculum vbi de imperio certatur. Tot fraterna bella cædesque paſsim in hiſtoria celebrari, vt iam homines facile ignoſcant, ſi regnandi cauſa frater fratrem occidat. Hæc quamuis crebro ingereret illa furia, non tamen ducem permouit, nolebat primam bello anſam à ſe proficiſci, nihil hactenus inexcuſabile commiſſum, ſciebat, vno in loco tantis copijs nec hoſpitia, nec cibaria eſſe, ſi diuiderentur, plura præſidia teneri, vocatis ergo ad ſe tribunis, & centurionibus comitate, promiſsis, largitionibus deuincit, & iureiurando aſtrictos, nihil contra ſe facturos, in aſsignatos à rege portus dimittit. Ipſe cum ſelectiſsimis Zeilam proficiſcitur: ea res ſuſpicionem regi exemiſſet, ni Caſates de largitione, & iureiurando indicium feciſſet.

XXIX. *Vulneratur Manicongus, Exitus Caſatæ.* Zeilano in portu, magno plauſu excipitur, amica omnia, vtrinque obſequium, atque humanitas, frequens nobilitas gratulatum venerat, miſsi currus, lecticæ, iumenta, omnia abundantis regiæ oblectamenta. Vnum diſplicuit, Zingius oppido præfectus, iam pridem inuiſus. Caſates male ſibi metuens, ſi fratres ſuſpiciones ponerent, ad Zingium clam mittit, extrema illi imminere, iam neci deſtinatum, eodem in diſcrimine regem eſſe: fugiendum igitur, regemque admonendum. Ille Caſatæ credidit vt amico regis & ſuo: mouebat quod Manicongus cum dextram cœteris daret,

ret ſeſe auerſatus eſſet. Sæpe poſtea retulit: ſi vel contingere dextram, vel in vultu beneuolentiam notare potuiſſet, Caſatæ crediturum non fuiſſe. Tanti eſt ... tatis meminiſſe. Rex fidem vix habuit, neque militem putabat dimiſſurum fuiſſe, ſi ad pugnam veniret. Omnia ita componit, vt ſuſpicionem vitaret, & ad pugnam paratus eſſet. Militem ſpecie honoris mittit, qui venientem excipiant, primo loco elepanti & leuis armatura ſtetére, & plauſu venientem excepere, deinde equitatus, & haſtati armorum ſonitu, tubarumq; concentu gratulati ſunt. Prætorianis extra ordinem præerat Aſpar Caſatæ filius doli ... artifex, quem vnum ex omnibus fidiſsimum ſibi Manicongus arbitrabatur, ideoque nihil timendum ratus, cum propinquaret cohorti agmen ſuum pauliſper anteceſsit, Aſparem ſalutaturus, ab eo aſpere, à milite infeſto murmure excipitur, iuſsi omnes arma ponere, & diſcingi, id cum recuſarent, ortum iurgium, & inter paucos pugna. Aſpar Manicongum pilo ſauciauit leui vulnere ſecundum humerum, lorica, quam ſub veſte gerebat, ne ferrum altius penetraret, impedijt. Ille nec vulnere, nec inſperata re fractus ... ctis alijs in vnum Aſparem fertur infeſtus, quo grauiter vulnerato, maieſtate & minis prætorianos terret, atque ad regem tendit, quem ignarum rei geſtæ ... um habuit, offerentemque amplexus auerſatus eſt, & plenus irarum, arma proiecit. Amicitiæ iſta ſunt pignora, tu me inimicum ſuſpicare. Iudicem te appello, ... e accuſatores meos, proditores tuos. Siſte hoſtes, ... orum ferro adhuc ſanguinem mitto. Inauditum re... s fratrem perire nefas eſt. De me nefanda credidiſti, ... d inimicis meis, inſontem agnoſces, ſi iudicare velis. ... iura ſancta infra maieſtatem regiam arbitraris, iam ... is in meo corpore eſt via morti, quæ dimidia ex parte peracta eſt. Si ignaua fuit dextera, quæ te... non fixit altius, armati tui leto viam inuenient. Qui tibi me inuiſum reddere conatus eſt Aſpar, idem ille

ille de te mihi atrociſsima minatus eſt. Literas eius teneo,& ſcelera artificis,quod ne pateret , occidere me conatus eſt. Hoc moriturus affirmo,amiciorem me tibi neminem viuere:te quoque meæ necis pęnas daturum. iſta interritus,& tum quoque territans. Dextram deinde abſterſo ſanguine cruentam referens. Hanc, inquit, recipe,talē enim feciſti. Rex poſtquá intellexit fratrem ab Aſpare telo petitum, iuſſum arma ponere,illi etiam cum fratre literarum commercia fuiſſe,partim ira, partim dolore lacrymas fudit , veniamque precatus , ſe quidem ſuſpicatum fuiſſe,nihil tamen contra fratris ſalutem mandaſſe. Curatum deinde vulnus, fraterna ſuper menſam colloquia, literæ hinc Caſatæ, inde Aſparis oſtenſæ: quin Aſpar ipſe cuncta prodebat:Ex vulnere ſecuta inflammatio, deinde phreneſis, donec crudeſcente furore omnia recenſeret:demum laniatis artubus, præmorſa lingua,fœdum vitæ exitum habuit: iuſtiſsima numinis vindicta,ipſe vt ſibi carnifex eſſet, qui fratres cum clade populorum in mutua exitia armarat. Nec felicior Caſatę exitus:ille cum ſecurus ſceleris pręmium exſpectaret,iam dudum vinculis ſolutus, cognita fratrum concordia,conſcijs duobus libertorum,quorum opera triſtiſsima quæque peregerat, ſumptis quas recondiderat gemmis,fugam in Perſidem adornabat, hanc auaritia impedijt, dum enim ſecreto in litore tutum ſe exiſtimat,libertos ad reliquum ferēdum aurum miſit,qui à centurione deprehenſi dominum prodiderunt. Exinde cum in eius corpuſculo omnia tormenta conſumpta eſſent, in Taprobanam reuectus nouis contumeiijs agitatus eſt,& poſtquam cruciatibus membra deeſſent, nuda vulnera flammis vrebantur. Hic exitus fuit viri nobiliſsimi , qui vitia virtutibus ſimillima ad Rempublicam attulerat,excepta ſola auaritia , quâ ita rapiebatur,vt diſsimulare non poſſet. Cœtera etſi quãdoque violenter erumperent, plurimum tamen cælabantur ſed exitus omnia in lucem protraxit.

Iunicongum,medicosque vulneris exilitas decepit, telo

[illegible]lo venenum Aſpar illeuerat, quod tertio die vicina ta-[illegible]cere, deinde incurabili contagio vniuerſum corpus [illegible]dere, rege cum lacrymis ſemper aſsidente. Tan-[illegible]m ſacerdoti medicus, ille languenti ſupremam neceſ-[illegible]em denunciat. Qua audita, mali cauſam confeſſus [illegible]inas Caſatæ dominis non redditas, teſtamento [illegible], vt omnia reſtituerentur, Caſatę & Aſparis poſſeſ-[illegible], quas illi rex donarat, egenis diſtribui iuſsit: cum-[illegible] [illegible]ato animo ad extrema inter acerbos dolores ſe [illegible]ret, ſanctius mortem obijt, quam proximam illi [illegible] vitæ egerat, miſeratione numinis temporaria pœna defunctus. Hoc illi fatum Sadecus monachus, cum Taprobane captiuo diues auro abſcederet, præ-nunc[illegible]. Eius tum vaticinia ludibrio habita. Ad-uerſus monita contumax tum erat nimia felicitas: at ſa-nie fluentibus artubus cuncta in religionem verterant: ipſe eoſdem peccati ſui auctores & vindices eſſe fate-batur, calamitatem ſuam non à caſu, ſed numinis arbi-trio profectam. Sane quæ fortuita homines arbitran-tur, alia Deo ſinente, alia ordinante, omnia præuidente ueniunt. Vehementer etiam fratris morte rex contur-[illegible]atus eſt, magis etiam acri admonitione: nam teſtamé-[illegible] meliorem illi regni curam, pauperumque commen-[illegible]rat, eò liberius, quod ſine ſpe, metuque. At ſollicitu-[illegible] illa exigui temporis fuit, mox obliuio ſubijt, & adu-[illegible]tium artibus deprauatus remedia differebat. Donec [illegible]to, ſed graui paſſu aulam vniuerſam vindicta per-[illegible]it.

XXX. Mani-congi mors.

[illegible]e morte Moſambi regis dicturo, de regni ſtatu pau-[illegible]agendum eſt. Primum in præſidum vitijs malum. populi quietem, & ſalutem, non ſat eſt regum pie-[illegible] virtusque, ſi prauis vtantur adminiſtris. Toto reg-[illegible]rędę agebantur, in tribunalibus nulla iuſtitia, equ-[illegible]: quà parte maius pretium, eò ſententiæ deuol-[illegible]ntur, ſontes abſolu[illegible]bantur, [illegible]bantur innocen-[illegible] Nullum crimen timebatur [illegible]bi. [illegible]llius integri-[illegible]gum auxilio tuta era[illegible], adulteri, abigei, pla-

XXXI. Status regni Æthiopi-ci.

giarij,

giarij, homicidæ, vltro mala paſsis inſultabant, apud ſocios criminum, prædarumque cauſam dicturi. Arcana regis, & ſupremum conſilium tæterrimi occuparant: ſcelerum indicia ſupprimebant. Dignitates paſsim veniebant, tam prodiga licitatione, vt integra patrimonia multi impenderent, cum fœnore de publico recepturi. Qui in locum peſsimorum ſubſtituebantur, alij erant homines, ijdem mores, cum moderata tributa indicerentur, prouincias publicani ſpoliabant, multis prædandi titulis. Nec militiæ ratio melior. Tribuni, & centuriones ſtipendia in ſua commoda vertebant: ſi quem diuitem ſub ſignis habebant, aſpero imperio vexabant, dum militiam redimere cogeretur: milites ad rapinas, concuſsiones, indecoros quæſtus ferebantur. vt pœnas eluderent, in partem prædę tribuni vocabantur. Nobilitas prodiga, ſumptu exhauſta, denique ad illicita vertebatur. Omnia vitia agricolas, ciuesque premebant, nec immerentes tamen, inter ipſos calumniæ, furta, poſtremo latrocinia. Ne ſacerdotum quidem integri mores: Scripturæ, & legum ſacrarum ignorantia, neglectus diuini cultus, opum, voluptatum, honorum profunda cupido, vita ſpurca. Rex tot malis auxilio quorundam bonorum obſtare conabatur. Et hactenus quidem obtentum, vt fas, ius legesq; non ſine certamine vincerentur, aliquando etiam vincerent. At poſtquam frater aberat, audacius erumpebant maleficia, quia facilius cælabantur. Rex varijs impar curis, à triſtibus ad læta facile flectebatur: accedebat adulatio, perpes regum malum. Cyrenus & Tagaſtus ſoliti regis luſus intendere, omnia curas ferentia excludebant, aut verbis eleuabant Acceſſit trium in aula principum arcta coitio, & pene conſpiratio. qui ſuis artibus id effecerant, vt nihil regi diceretur, niſi quod ipſi vellent, & quo modo vellent, vt nulli ſpes eſſet dignitatis accipiendæ, vel retinendæ, niſi eorum ſuffragia vel ſeruitio, vel precio emiſſet. Quin & illi qui regi antiquitus noti erant, accep-

tique,

tiq;, adire verebantur, ne primates offenderent. Peſtilens regnis ambitio, cum non modo negocia paucorum libidine voluuntur, ſed principibus etiam audiendi libertas adimitur.

Nihil inuito Deo ſucceſſum habet; triumviratus tot exsecrationibus, promiſsis, & quod ſummu eſt improbis vinculum, mutua criminũ conſcientia fiduciaq; roboratus, leui momento diſsilijt: ipſis inter ſe commiſsis. Pretorio præerat Milchamus, idemq; bellici ſenatus caput, iudicijs Saradenus, cœtera curabat Mombazus, vrbis [illegible] conditor. Pares illi auaritia, faſtuq; amicitiæ ſpeciem fecerat vitiorum ſimilitudo. Singulis quædã eminebant. Milchamo ſumma ira, Saradeno gulæ intemperantia. Mombazo profunda obtegendi ſui, alios fallendi aſtutia. Hanc ille in ſummis virtutibus numerabat, ſapientem ſe & falli neſcium dici gaudebat. Populus ſerpentem, torquatum vulpem, ſericatum dæmonem vocabat. Quicquid audiret, legeretq; ad acuendam calliditatem referebat, multa è libris, etiam Græcis, (linguam Alexandriæ didicerat) ad hanc artem collegerat, multa de ſuo addiderat. Rempublicã ſine fraude, & iniuria negabat adminiſtrari poſſe, politicen verſutia & [illegible] definiebat, ſtolidos, nec rebus agendis idoneos iudicabat, qui veram innoxiamq; prudentiam probarent. [illegible] ſciendi ſcientiã à virtute ſeparabat. Hinc in illo ſumma fiducia ſui, collegarũ contemptus: ille cœteris, maxime Deo inuiſus, homo fati infelicis. Nunquã falſa ſapientiæ imitatrix aſtutia fauſtum exitum habuit, fixo cœleſtis regiæ decreto. Perditum iri ſapientiam ſapientum. His erant inter ſe ęmulationes, quas Milchamus [illegible], Saradenus per vinũ prodebat. Mombazus occultas animi, affectus ſociorum ex occulto ſpeculabatur. [illegible] erat filia Nilotis, magnæ domus columen, [illegible] eſt [illegible] annis prædę hæres, par forma generis, [illegible] meliore parente digna. Ambibant [illegible] Achasbar Milchami, & [illegible] denus [illegible] filius. Nec intra adoleſcentum ſtudia [illegible] riua-

XXXIII *Diſſidiũ procerũ, & in nuptijs cades.*

riualitas, parentes connitebantur, non quo filiorum amori indulgerent, potenti affinitate res conſtabilire animus erat, & opum congeriem in ſuam transferre familiam. Iuuenes affectum & formam, parentes dotem ſpectabant. Alius nimirum amori, alius auaritiæ finis.

Hanc in reprehenſionem vt plurimum magnates incidunt, vt coniugium, ſacratiſsimum humani generis vinculum, precio, potentiaque æſtiment, dotes & rerum incrementa ſectentur, & ſanctæ Societatis fœdus cauponando profanent. Mombazus Adenum prætulit, vt modeſtiorem, & patris manſuetioris ſobolem, Facete iocatus: Ebrietatem Saradeni, quam iram Milchami malle: Hilarem furorem triſti mitiorem eſſe.

Achasbar amoris & repulſæ impatientia furere. nec pater iuuenem coercere, duorum æmulorum coniunctionem ſibi pernicioſam ratus. accendebat inſuper hominem ſua ſponte ardentem Mombazi dictum celebri fama vulgatum, & onerabat Saradenus, cum potando tam bonas nuptias conciliaſſe diceret. Ad inſidias ergo vertitur. Mos erat ſub dio, ritu militari nobilium matrimonia contrahi; huic celebritati nemus denſum, cuius in vmbilico campus nudus arboribus, deſtinatum eſt. Achasbar è cohorte prætoria, quam patris vice regebat, audaciſsimum quemque inter opaca ſyluæ abdit, iuſſos dato ſigno prorumpere. Sponſam etenim rapere, aut vitam ponere decreuerat. Amor curam æqui bonique, vt ſolet, huic etiam vitæ abſtulerat. magis odium riualis victoria geſtientis ægrum animum exſtimulabat. Cum primum in aperta nuptiale agmen deſcendit, ingenti clamore abditi prouolant, cædes inchoatur, omnia aduerſa erant Adeno, agmen inerme, aut ad pompam armatum, inopina vis hoſtium, ſuorum re improuiſa trepidatio, mulierum eiulatus, animi omnium ad pugnam imparati, ad ludicra epulaſque feſtinantes. Achasbari erat miles gnauus, cæde imbutus, certi duces, acre pugnæ incitamentum, præda. Fugam ergo Adenus

capeſ-

capeſsit, deductoque in viam anguſtam virginis curru, cum viginti ſodalibus eam tuetur ſequitur hoſtis, ibi enim precium pugnæ: nonnulli ſe ex fuga Adeno iungunt, prætoriani ad prædam diſcurrunt, quæ immenſa cernebatur, omnibus auro gemmaque fulgentibus, debellatum enim exiſtimabant, deſertus fœdum in modum lacerato corpore Achasbar conciditur, miles audita ductoris ſui nece, clam cum eo quod quiſque rapuerat, ſe ſubducit. pauci à nuptialibus intercepti ſpolia cum ſanguine reddidére.

Nuptię quamquam Bellona pronuba turbatę, ſucceſ- XXXIV
ſum tamen habuere. Spolia & cladem victoriæ lætitia *Mors*
penſabat, præcipue æmulus occiſus. Milchamus quam- *Momba-*
uis ira, odio, metu, inuidia ſupra humanum modum ar- *zi.*
dens, amicitiam tamen ſimulat, filij factum ſe deteſtari, amoris impotentia facinus à filio perpetratum, meritas illum pœnas dediſſe, munera ſponſis mittit, abſentiam per luctum excuſat. quoque magis falleret morbum ſimulat, ſubito dolore contractum. Hoc vnum ſollicitus, ne odia profeſſa perderent vindictæ locum. Haud ſegniter vero centuriones ad colloquium vocat, perque idoneos tentat animos militum iam ante licentia corruptorum. Mombazum & Saradenum accuſat, eos militum commodis obſiſtere, donatiua auertere, nunc etiam hoc agere, vt noua cohorte prætoria conſcripta, veteres exauctorentur, rum diſiunctos manere iudicia, legumque pœnas, centuriones ſingulatim appellat, grauium ſcelerum compertos. Tot malis remedium eſſe, ſi noctu ſomno, & vino ſepultos obruant, & ducis ſui necem vlciſcantur. Pars ergò Saradeni domum circumdat, quæ facilis expugnatu fuit, pleriſque per ebrietatem inualidis. Saradenum, cum excitari non poſſet, ſtragulo inuolutum in latebras incognitas retrudunt, alter occiſus eſt, alter effugit, quarta demum luce cum lustrari ædes rex imperaſſet, vox lamentantis ex occulto audita, induſtriam quærentium inuitauit, pertractis oſtiolis ſemianimem theſauro incubantem reperiunt,

potum qua potuit voce, & geſtu popoſcit, hauſto calice diu luctatus, vinoque remenſo, animam ſimul effudit. Calor linguam, atque interiora aduſſerat. Mors ſpectaculo fuit, & horrori, reputātibus quotidianam hominis ebrietatem eo recidiſſe, vt medijs in rapinis fame ſitique cōficeretur, nullo ſuorū obſequio adiutus. Mombazus diutius domum tutatus egredie munitam, & familia ſobria, cum omnes exitus occluſos cerneret, diſpoſitis ad defendendum domeſticis, ipſe accito pictore, ſumptaque ſeruili veſte, cœteris immiſtus latebat, deſperatis omnibus, pacti vitam, & dominum ſe proditurος, ianuas ſemifractas aperiunt. Neque enim ad extrema pericula durabant. Dum quæritur Mombazus, effugium patuit, ſed contempſit, fiduciâ mutatæ per colores formæ, ſe enim in ſpeculo contemplatus non ipſe agnouerat, pictorem inſuper ne indicium facere poſſet, occiderat, ne inter ſuprema quidem Deum veritus: ipſe interim quaſi ſollicitus præire, Seradenum quærere: & perditis rebus aſtu ſuo fruebatur, cum obuius centurio, minaciter rogat, quando & vbi vltimo viderit Saradenum? at ne vocis ſono ſeſe proderet, primum quaſi dubius conticuit, deinde ſemiplena verba protulit, quare ſuſpicione conſcientiæ datâ, ad equuleum rapitur, ibi metu plura loquitur, atque à tribuno agnoſcitur. Diſſimulat tamen omnia, inſtatque, vt Saradenum indicet, neganti ſcire ſe, illata tormenta, quæ diu fortiter ſuſtinuit, timore ne agnitus plura ferre cogeretur. Interim ludibrio erat torquentibus, aſtantibusque, ſudore enim, verberibus, flammiſque fucus deterſus veros vultus reddiderat. Ergo cum faces lateribus admouerent, verbera infligerent, ſtylo oculos foderent, ad ſingula ſupplicia quærebant, vbinam eſſet Seradenus? Inimicis eius effuſe ridentibus, gratulantibusque, quod ſe ipſe amiſiſſet: atque inter iſta animam efflauit, tam inſultationibus, irriſu, & verbibus, quam tormentis proſciſſus. Mors ſane miſera; nemo tamen eorum qui fraudes, verſutiamque pro vera prudentia in

Rem-

Rempublicam intulerant, malas artes vſurparunt, & docuerunt, bonum ſortitus eſt. Vera prudentia, ex iuſtitiæ, temperantiæ, religionis præſcripto cuncta adminiſtrat, ſucceſſus è cœlo ſperat, & nanciſcitur, at callida illa, vitiorumque aduocata ſolertia, quamuis ſtultis ſapientia videatur, Deo tamen iudice, ſtultitia eſt. Omnis namque aſtutus magnam ſtultitiæ miſturam habet, & leuitatis, cum fundamenta, & certiſsima ſapientiæ principia procul habeat, inanibus confiſus. Mombazi porro imprudentia in eo ſita erat, quod famam aſtuti captans, fidem perdiderat, odio habebatur ab omnibus, & cauebatur. Adulatores tamen eius ab illo ſe omnia diſcere, & falli, etiam cum illum vel maxime fallerent, profitebantur. Adenum ſponſum Nilotis pietatis ſuæ exemplo ſeruauit. Poſtquam enim in conclaue ventum eſt: Tobiæ, inquit, factum noſti, nos quoque filij Sanctorum ſumus, noſtrum connubium veteri ſacratius eſt, quin ergo primis noctibus ſecubamus, & matrimonium, vitam reliquam, ſobolemque precibus Deo commendamus. Conſenſit adoleſcens, & ad ſacerdotum noctę orantiū, illa ad virginum Deo dicatarum domicilia ſeſe contulit. Atque ita periculum euaſerunt, longa deinde & concorde vita ſimul conſenuerunt.

Patrato ſcelere ſumma ſollicitudo, vt impune eſſet, XXXV. ergo Milchamus anxius militem ſanguine prędaq; pollutum, in arcem reducit, rex in vicina arce agebat, ſeroq; *Milchami mors & regiu.* tantum nefas intellexit, & præfectus prætorio cuſtodijs itinera ſepſerat. Rex turbatus, & defectionem multorū veritus aduolat, ciues in officio eſſe, & Canorinum conſulem pro ſe arma ſumpſiſſe inuenit, quare ciuibus centuriatis, viciniſque agricolis ſuam ipſe regiam obſidet. Nam Milchamus ira victus, in vltionem duntaxat intentus, in futurum nihil prouiderat. Iracundiæ enim propria eſt temeritas, atque amentia, hinc inconſiderata periculorū ſuſceptio, ac pernicies. Miſsi à rege legati ad militē, cauſam tanti motus interrogauere. Illi indig-

num rati regem improbi hominis ergò offendere. Præfecto ſe paruiſſe reſpondent, regis imperium putaſſe, id eo magis, quod illi quos occidiſſent, omnium iudicio iamdudū extrema exempla dare oportuiſſet, miſſuros ſe Milchamū, ex quo intelligere poſsit, quid militi mādarit. Legati collaudata militum fide, vt Milchamū tradant, hortantur, quod impigre prǽſtiterunt, tam advindicanda, quam peragenda ſcelera parati Nec vlla in poſterum cōditione pacta, ducis ſui pœna ſe abſolutos exiſtimabant, rex magnopere lætabatur ſine ſanguine ius ſceptri valuiſſe, neq; ſe impediri quo minus ſuo tēpore noxios pœna afficiat. Militi tanquam innoxio donatiuū promittit, quamuis enim reos eſſe certo ſciret, aliud tamen præferre voce & vultu neceſsitas adigebat. Solium igitur rex conſcendit, adducitur Milchamus cauſam dicturus, qui cū non virili lamentatione militibus ſupplicaret. Iracundi enim quos arrogantia, & mollis educatio tales fecit, animo inerti, & muliebri ſunt, cū di crimen ingruit. Igitur centurio, quem olim ephebum per iram atrocius verberari iuſſerat, veteris contumeliæ memor ad genua procumbenti alapam additis maledictis i fregit. Id Milchamo viſum morte grauius, conſurgen ue calcibus centurionē impetijt, manus vinctæ era t, e inde immodica ira furens, vultumq; felle ſuffuſus vin ula concutiens, preces in maledicta vertebat, mox febris, & neruorū dira conuulſio, tremorq;. Inter iſta tamen cauſa agebatur, & damnatus, addicebatur, tantus porro rat viſcerum ex morbo dolor, vt candentes laminas, & lacerationes aut non ſentiret, aut ſentire non videretur. Nec vlla tamen ſpectantiū miſeratione per bat, quod notæ ſæuitię, nulli vnquā ſupplici pepercerat. reos ; etiā meritos grauia iræ, non iuſtitiæ impendere ſolitus eſſet.

XXXVI *Mojambus moritur.* Morte Milchami cuncta iam pacata habebātur, & rex ciuibus, militiq; gratijs actis domum ire parabat cū nouo tumultu omnia miſcentur, orto à ſordidiſsimis initio, quibus nulla iuris aut famæ cura. Vbi enim ſemel mentes commotæ ſunt, haud facile ſedantur, minimoq;

impul-

impulſu turbantur: Vna ſeditio aliam generat, mare cū̃ æſtuauit, etiam poſtquam turbo poſuit, mutuo cõcuſſu ludunt fluctus, & raro magnus eſt fragor ſine repercuſſo ſonore. Ciues ergo numero multo plures, prætorianos circumſtant, verbera intentant, illi ſine ductore, cõſtipati, magnam partem trucidantur, dum fidem regis implorant, circumq́; tribunal conglomerantur, omnia euertunt, rex clamore, curaq; feſſus dum ſedare tumultum conatur, eliditur, domumq; relatus moritur, magno militum, ciuiumq́; luctu: magnum erat in cohortem ob rapinas, & contumelias odium: prætendebatur vltio, plus tamẽ poterat ſpes prædæ. Multus in plebe de Moſambo, eiusq́; actis ſermo, arguentium, aut laudantium. Ipſum comem, affabilem, iuſtitiæ tenacem, nullius ſæuitiæ auctorem. Liberalem etiam religionisq́; amantem. At in cognoſcenda rep. ſecordiam culpabant, obnoxium peſſimis famulorũ, quæ toto regno noſcitabantur, ignoraſſe, credulum, imprudentem, à triumuiris poſtremo obſeſſum, amorem & odia non iudicio ſumpſiſſe, ſed alienis artibus inſita, alieno arbitrio exercuiſſe. Regnum miniſtrorum tyrannide oppreſſum, in ſuperſtitionẽ trahebant, quod à ſatellitibus, prope tribunal, ab inſcijs & inuitis obtritus eſſet. Hæc populus, libertatem nouam in regnantium erroribus cenſendis ſuo more exercens: cædes deinde cauſidicorum ſecuta. Extra vrbem Magadazam quoque ſæuitum, non lege, non more: ſed irritatę plebis inſaniá. Multos fuga, paucos latebræ, pauciſsimos innocentia texit. Periêre inſontes, furor armatus merita non ponderat, ſuo impetu fertur. Canorinus vir integer, magnæque auctoritatis, quem rex paulo ante mortem ſecundum ſibi conſtituerat, populum ad modeſtiam hortatur, principum conuentum indicit, Abiſsinum dilaudat, eius imagines in publico collocat: Filium Sebymum Melindem ablegat, monetque vt hæreditatẽ aditurus Magadazam acceleret. Legatum iam rumor anteuenerat, & licet non creditus vrbem tamen exterruit. Abiſsinus decem & octo annos natus contrariam

atroci nuncio famam ſpargi curat, non ignarus in tantis rerum commutationibus tam falſo, quam vero momẽta eſſe. vias omnes obſidet, ne triſtia nunciantibus aditus daretur, in eos cum Sebaymus incidiſſet, edoctus quid facto opus eſſet, fronte læta, & verbis omnia fauſta præferebat, rem ipſam ſecreto conſilio reſeruabat.

XXXVII. *Abiſsinus de regno conſultat.* Effuſa in lætitiam ciuitate, & falſæ gratulationis vſura plaudente aula, de ſumma rerum Abiſsinus, Ioannes, Garamas, Hananus, Sebaymus mœſti conſultabant. Regni & vitæ pariter diſcrimen proponebatur. Princeps tamen ſpe in Deum nixus, & non modo ſupra ætatem, ſed humanum etiam modum ad fortuita impauidus, dein cœteri conſedere. cúmque fixis in terram vultibus ſermonis initium nemo faceret, ſilentium ſuum ipſi formidabant, quaſi tantis cladibus conſilium, & remedium deeſſet. Ioannes exordium loquendi fecit. Hactenus, inclyte rex, diſcipulus & alumnus nobis paruiſti, nunc imperator, dominuſque noſter, tu iubendi, nos parendi vices habemus. Atque vtinam tam feliciter imperes ſubiectis, quam modeſte famulis tuis obtemperaſti. Maieſtatis tuæ vocem præire non licet. Si quippiam interrogare aut mandare placet, ad reſpondendum, agendumque parati adſumus. Erexit omnes viri ſancti oratio, quam pro regni augurio habuerunt. Abiſsinus alte trahens ſuſpiria, lacrymis vbertim manantibus. Veſtram, inquit, in ſummo periculo vocem exſpectaui, quã meo bono, in ſecunda patris & mea fortuna ſemper ſecutus ſum. De triſtiſsimo parentis exitu doleo. quę cum diceret, vi mœroris vox intercluſa eſt, diuq; contra gemitum & ſingultum luctatus, animũ firmauit, & loqui per interualla fletuũ perrexit. Regnum in manu eſt omnia videntis, omnia potentis Dei, in qua & vita noſtra. illo inuito nec dari nobis poteſt, nec eripi. An regnare poſſim, nondũ expertus ſum. parere iam didici. Conſilia veſtra non velut regnanti obnoxia, ſed quaſi priuato data libera exſpecto. De repub. igitur Ioannns dic, quid cenſeas. Ille de ſua fide, Abiſsini indole & virtute pauca

præfatus, de re multis diſſeruit. Deum humanis rebus intereſſe, eius iudicio præmia virtuti, delictis ſupplicia decerni, interdum lenta, aliquando propera, nunquam nulla. Nuper Taprobanen & Caſaten, nunc Aethiopas exemplo eſſe, alios alijs in poſterum fore. increbreſcentibus vitijs alium ſe nunquam exitum exſpectaſſe. Sanguine nocentum vtcunque regnum expiatum. Superſũt inquit, boni, & minus mali, hos tu regendos ſuſcipe, cras regnum ordire. Omnis mora noxia eſt. Primum quidem nobis teſtibus ſanctiſsimum iuſiurandum coram magno Deo concipies. Illius te religionem, cultumq; reſtauraturum. Populum legibus & regia poteſtate à flagitijs ad virtutem reuocaturum. Ex æquo & bono ius, dicturũ ab iniuria potentiorũ infirmos defenſurũ. Eodem nos ſacramento tibi obligabis, fidos hac in cauſa, gnauoſq; adminiſtros fore. Non deſeret tam ſancta profeſſum Deus, deinde rei gerendæ ordinem edocuit, cæteriſque aſſentientibus diſceſſum eſt.

Altera die ſub auroram ſacrificante Ioanne, diuiſis in regem, ſocioſq; myſterijs vtrinque iuratum eſt. conſilia Deus promouit, cœptiſq; ſucceſſum dedit. Orto ſole milites, claſsiarij, tirones conuenire iuſsi, armata Abiſſini familia interiorem aream occupabat. Vrbis portæ clauſæ, diſpoſitique cuſtodes. Poſtquam nouus rex feſto cultu ſolium conſcendit, omnibus exſpectatione ſuſpenſis, atrã illi togam inſigne luctus Hananus impoſuit, ingẽs orta comploratio, ſtudia enim militũ habebat etiã Moſambus. facto ſilentio pauca pro tempore verba facit, ſeruato decoro, quaſi dolor vocẽ includeret. Sibi patrẽ, ipſis regem ereptũ. Lacrymas ſe patri, honorẽ regi habiturũ. Hanc illis felicitatem contigiſſe, vt notum commilitonẽ primi regẽ audiant, cingant, tueantur, eos ſibi fratrũ loco fore. Dein donatiuũ pollicetur, honoratãq; militiã, ſatis gnarus nulla re arctius militis fidẽ, quã ſpe & promiſsis aſtringi. Adhibita cętera, quę regib. extorquere neceſsitas ſolet, blãdimẽta, eo gratiora, quod nõ tẽpori accõmodata, ſed ex animo dicta crederẽtur.

XXXVIII. *Abiſſinus rex inauguratur.*

Indolis ingenuæ,promiſsiq́ue tenax habebatur, alioqui verecundus,decorus iuuenta,ingenio,eloquentia,comitate,mulcendis demerendiſque vulgi animis validus. miles qui iuſiurandum præiret,non expectauit, eductis ſponte gladijs ſacramentum dixerunt. deinde plauſu diſſono,armorumq́ue colliſu alacritatem oſtendunt, atque vt eadem hora in parricidas ducantur obnixe flagitant.Rex comiter appellatos collaudat, promittitq́ue ſibi curæ fore,vt ordine, & ſine periculo vincant: nunc templum petere,vt euentum Deo commendet.Iuſſerat eodem tempore,ſenatum populumq; in baſilicam cõuenire,vbi Ioannes pro concione geſtorum ſeriem recitaturus,& noui regis inaugurationem denũciaturus expectabat,qui à rege mittebatur,vt tempus incipiendæ concionis indicaret, ita enim conuenerat, præ turba ad Epiſcopum penetrare non potuit,at milites, qui regem deducebant,ſolito more ei bene precabantur, tubiſque perſonabant, cunctiſque inſolitam rerum ſpeciem mirantibus.Ioannes quid actum ſit exponit, hortaturque vt regem iam ab exercitu ſalutatum,ipſi quoque agnoſcant:mox feſtis acclamationibus exceptus eſt.

XXXIX *Regi ſuadetur vt ad caſtra proficiſcatur.* Læta omnia in vulgus futuri auidum; at ingens ſupererat rerum moles, ex tanto imperio vna ciuitas in fide, dena militum millia ſacramento deuincta erant,exiguæ vires, & ſi aduerſa ingruerent, non duraturæ. aliorum animi in motu, & dubius euentus. Eadem igitur die, quaterna ciuium, ſena ſeruorum millia, poſtquam dominis precia perſoluiſſet, eoſq; manumiſiſſet, armat,iamq; iuſti exercitus ſpeciem effecerat, caſtraq; ante vrbem collocarat,quotidieque exercebat tirones, quaqua verſum delectus agebat, in omnes prouincias miſsis literis,quę in rem erant,nunciabat.Opum copia, tam quas ipſe ex parentis liberalitate collegerat, & fideli adminiſtratione Ioannes auxerat, quam Garamantis,& Hanani pecuniæ.Melindenſes etiam magnum auri pondus partim dono, partim mutuo obtulerunt. Nec pauci principes,vrbiumq; legati gratulatum venie-

bant, quos exquiſita comitate accipiebat. Conſilium tamen rei gerendæ impeditum erat. Hananus Magadazam petendam dicebat, arcem regni premendam, eò proceres vocatos, illic eſſe populi ſtudia, Canorinum conſilio, auctoritate, clientelis validum, fidumque: ibi veſtem, ſceptrum, diadema, ſolium auitum, regium, patriarcham, inde petita ſemper regni primordia, vnctionem, cærimonias, populi plauſum, hæc etſi fortè infirma, aut etiam vana, plebi tamen auguſta videri. Procerum animos vel ancipites, vel alienos, regis præſentia facile occupari, abſentiâ prauis conſilijs occaſionem dari, Nondum publicas offenſiones eſſe, at ſi deliberare incipiant, omnia plena querelis fore, præcipuum malum, quod rebellaſſe videbuntur, qui de principe deliberarunt. Nihil paci magis aduerſum, quàm conſcientiam delicti, cuius pœnam metuas. Proceres ſi peccare incipiant, neceſsitate perſeueraturos Nec longum iter eſſe, ducenta paſſuum millia, ſe cum expeditis præiturũ, omniaque explicaturum, rogare igitur regem, vt id cõſilij ſequatur, cuius periculum in ſe auctor ſuſcipiat. Diuerſum cenſebat Garamas: Regiam quidem vrbem fidam eſſe, nempe ex aula illis honorem & fortunas venire. Facilè tamen mutabilem oſtenſis ex diuerſo compendijs, vrbes inclinari quo commoda impellunt. Metum & offenſam haud dubiam fore, ſi nondum à proceribus inauguratus, cum exercitu veniat, rapturus, quaſi à volentibus deſperet. Armorum cauſſam reddi non poſſe, niſi diffidentiæ, vltionis, tyrannidis ſuſpicione omnes impleat; cùm enim incertum ſit cui bella parentur, futurum vt ſibi omnes metuant, proſpiciant, exercitum conſcribant, inde bellum ciuile. Si verò illorum ſe fidei credat, anceps id fore inter diſcordes, nec ſine maieſtatis iactura. Interim regem graue agmen tracturum, lenta itinera, querelas ſubiectorum: militis enim modeſti, diſciplinaque coerciti, contubernia agricolis damnoſa eſſe. Nec ſe tamen militi ſuo, vel aulæ fidere, cum in aduerſa parte parentes, fratres, coniuges,

liberos, cęteroſque affectus habeant, contra quorum libertatem haud vnquam ſeriò pugnaturos. Cuſtode igitur opus fore, ne transfugiant, ſeditiones, proditiones inceptent. Interim Machonem qui ad Quiloain magnū exercitum habeat, malefactorum conſcium, Abiſsino infeſtum, principibus auxilio venturum, inde periculū à Manicongiano rege imminere. Summam eſſe regem non debere ſe committere alieno arbitrio: nec ire cum exercitu: proinde aliud conſilium ſibi placere. Si Ioannes legatus Magadazam proficiſcatur, cum eloquentia, donis, promiſsis maximam partem ſibi conciliaturum. Aethiopas enim ſi abſque periculo eſſe ſe videant, non fore concordes, nec quicquam in commune conſulturos, cum æmulationibus, ſimultatibus, inuidia, metu ducantur. nec quicquam facilius, quàm in comitijs vbi multa capita, plures ſententiæ, efficere, vt magnis conatibus nihil agatur: ſed eò rem deducere, vt omnibus cōſilijs diuerſæ factiones ponant obſtacula. Nunc ſi hoc obtineri non poſsit, vt in bonum conſentiant, impertiri tamen poſſe concordiam malorum. At ſi regem cum exercitu aduentare nuncietur, turbulentis auctoribus impulſos ad defenſionem poſitis inimicitijs vno animo conſurrecturos. Nihil ad inteſtinas diſcordias ſopiendas efficacius eſſe, quàm metum maioris mali. Si per legatum molliter agatur, ſpontè dilapſuras. Contrarios illis conſulentibus eſſe fines. Principum mentem eſſe, vt dominationem ſtabiliant, nobiles atque vrbes ſubijciant. Nobiles atque vrbes ſui iuris, & nulli obnoxiam libertatem poſtulare. Si ad caſtra Quiloenſia quæ viciniora ſint iter intendat, militem illum, vt cui notus ſit, & carus, in manus accepturum, contra hoſtem pugnaturum, omnium ſibi amorem conciliaturum. Conſilium Garamántis ſuo præferebat Hananus, ſummaq; ope annitebátur, quo iter maturaret, atque hoc inter magnas eius virtutes eminebat, quod proba ratione ductus cōſilium facilè mutaret, amicus etiam ſententiæ, quā ipſe nō dixiſſet. Sanè boni ſenatoris eſt, boni publici cauſa alienæ

lienæ prudentiæ concedere, populiq; ſalutē ſuā gloriā habere potiorem. Quod eò præſtantius eſt, quò rariores ſunt, qui ingenio cedere ſueuerunt. Væcordis eſt, cū meliora aliorum audias, deterioribus inhærere. Vidi ſanè qui optimo conſilio obſiſterēt, atq; adeò ſucceſſum impedirent, ne alijs quā ſibi prudentius aliquid in mentem veniſſe appareret. Verum de bello Manicongiano, quod primum eorū fuit, quæ Abiſsinus geſsit, agamus.

Belli Manicongiani origo à præſidum rapacitate manauit. Moſambi parens Zocoter, à quo Zocotera inſula nomen habet, Manicongi regnum ſuo adiecerat, & ad monumentum victoriæ filio, de quo iam dictum eſt, nomen dederat: nec imperium barbari abnuebant, ferre mores nequiuerant. Tacfarinas è Lybiæ regibus genus ducebat, olim proaui huc profugerant, Aethiopum præfectos fraude cœperat, præſidium eiecerat, ne bellum ſuſtinere cogeretur domi, vltrò intulit, deſidia Moſambi, & procerum diſcordia inuitatus. Perſuaſit namque Manicongianis ad famam pertinere, & emolumentum adferre, ſi in alieno ſedem belli collocarent, hoſticamque terram depaſcerent. Incredibili igitur celeritate extrema Africæ, quod nunc promontorium Bonæ ſpei vocatur, circum nauigat, inſulamque Memithiam, nunc Madagaſcaram appellant, telluris & oceani fœcunditate opulentam, longa pace luxuriantem, atque imbellem improuiſus occupat, firmatque. Aucto inde nauium, ac militum numero, ſeruitia enim liberarat, & in legiones diſtribuerat, laboris & inediæ patiens genus, & in aſperos dominos odio ferox, ergò ſucceſſu elatus, continentem petit, Quiloam longa obſidione premit. Tandem in regnum potiore cura reuocatus, exercitum Zanziberi viro forti commendat. Moſambus ſoluendo obſidio Machonem miſerat, magnis copijs inſtructum, improbum illum quidem, & negocio imparem, ſed triumuirorum fauore prouectum. Hærebat ille à longè ſpectator, & metum prudentiæ eſſe videri volebat. Primos milites, deinde

XL. *Obſidio Quiloana*

inde centuriones & tribunos ſuſpectos habebat, de ignauia ſui ducis queri ſolitos, hinc omiſſo hoſte per ſeruulos & emiſſarios ſecreta colloquiorum explorabat, quæ eò crebriora grauioraque erant, quia inquiri conſtabat. Militari licentia in optimos etiam multa iactantur, nunc plura dicebantur, quod deferri ad Machonē ſcirent, cuperentque hominem improbum infamia ſua angi. nota illa hoſti, & toti regno, Moſambum cælabātur. nec minora apud hoſtem vitia, ſed diuerſa. Zanziber, ſi opus, aut periculum vrgeret, acer, vigil, interritus: ſi ocium eſſet, ſomnolentia & voluptatibus marcidus, cibo potuque diſtendebatur, pugnandi cupidus, diſciplinę incurius, ambitione praua, ducibus, militibuſque indulgens. Adeò facilius inuenias, quem aſpera triſtiaque durent, feruentq;, quàm aduerſum delicias benè roboratum. Hinc in caſtris ſolita tribunorum & cēturionum delicta, ſtipendia militum interuertere, miſſiones precio vendere, vacationes alijs dare, alios plus ęquo onerare, inania nomina in locum pugnatorum ſubſtituere, ea fraude ærarium exhaurire, & Reip. pericula augere. Excubias & exercitamenta ſolita ſecuritas, & contemptus hoſtium pene ſuſtulerat. Rex Manicongi centum triginta millibus annonam ſoluebat, at quadraginta ſolum millia in caſtris erant, dupla lixarum & calonum turba. Summum in his malum contemptus hoſtium, ſemper multo, quam hoſtis ipſe infeſtior.

XLI. *Victus Zanziber.* Abiſsinus omnium gnarus, legiones ad caſtra raptabat, famam ſui præuenire conatus, nec feſellit euentus induſtriam: nihil Macho ſenſerat, niſi poſtquam ei litteras tradidit agminis præcurſor Garamas. De quibus cum in tentorio altercaretur, Macho enim Abiſsini imperium abnuebat, atque ad comitia regni appellabat, equites qui cum Garamante venerant, ſpargunt, cum maximis copijs, commeatuque iam propinquare Abiſſinum, ſtipendia & dona ferre, aliaque in maius augebant, ad prætorium fit concurſus, primi ordinum certatim obſequium oſtentant. Et Garamas monebat: Pręcipua

cipua prœmia illis fore, qui quod omnes facturi ſint, primi inchoarint. Magnorum operum exordia magnanimos poſtulare. Auctores in laude eſſe, cæteros negligi. Machone inuito in verba regis iurant, nec mora, nimium fauoris, & immodicum odij vulgus illum ad ſupplicium poſcunt, neque ſatis virium in Garamante ad impetum reprimendum. Fugientem ad aram ſancti tabernaculi, verbis ſacerdos, deinde iure aſyli tuiatus eſt: non enim hoc agebatur ne periret, ſed ne per turbas, & inauditus: non debent aſyla eſſe criminum refugia, & ſpeluncæ latronum, ſed ad innocentiam cognoſcendam tutela, vt quaſi per inducias cauſa iudicetur. Abiſsinus tamen quamuis nocentem, cum honore domum remiſit, ſuis, agnatorum, affiniumq; opibus potentem, quos deuincire ſibi maluit, quàm noxium plectere, initia regnandi clementia reddere illuſtria, atque accepta Hananus ſuadebat. Noctem illam poliendis armis, & corporum cultu componendo miles exegit. Mira contentione nouo principi ſe venditandi. In magna rerum cõuerſione omnium ſpes erectæ erant, etiam quorum nulla merita. Haud facilè quiſquam regũ pari animorũ ardore, plauſuque exceptus eſt. at ille inania perparum tranſmittenda ratus, vim imperij vrgebat, atque oratione ſeria hortabatur ad prœlium, vt illos lætantium impetus in hoſtem longa ſecuritate torpentem conuerteret. alioqui facilè langueſcunt, vt flamma, quæ in tenui materia momento promicat, deinde extinguitur, profectionem igitur indicit, poſitis cuſtodibus, ne hoſtis ſentiret. Exercitum tripartito ordine iubet procedere, eum quem ſecum adduxerat, Hanano attribuit, iuſſo occidentalem caſtrorum partem aggredi, ad ortum mittitur Caramas, vterque lento pede progredi iuſſus, nec in conſpectum caſtrorum ſeſe dare, donec à ſe initium pugnæ datum, & iam feruere prœlium intellexiſſent. Quamquam autem viribus ſuperior erat, artem tamen addidit, vt minore damno vinceret. Quicquid lixarum & calonum in caſtris erat, leuibus armis, ſagit-

ſagittis, fundis, gladiolis, ſtipitibus præuſtis, inſtruit, quoſdam equis clitellarijs, aſinis, camelis impoſuit, alios pedites eſſe iuſsit, illi ducibus ſuis præuolantibus, ingenti vlulatu ad caſtra procurrũt, fundis & ſagittis propugnatores impetunt. Zanziber propere ſuos ordinat, auxilia è vicinis aduocat, oppugnationẽ caſtrorum veritus, at poſtquam non propius accedere, nõ vallum reuellere aduertit, vltrò increpat, atque erumpit, calones ſine ordine, qua quemque metus agebat, fugiunt, ita imperatum erat, inſiſtit fugientibus Zanziber, & cupiditate cædis ordines ſoluerunt, tum Abiſsinus in palantes ex latere inuectus ſtragem dedit ingentem: viamque in caſtra ferentem intercepit. Victoriam Zanziber nonnihil moratus eſt, colle enim cum mille ſatellitibus occupato, ſeſe tuebatur, Abiſsinus quod ad alia feſtinaret, neſcius quo euentu cornua pugnarent, lixis negocium dedit, vt circumequitarent, iaculis peterent, atque ita aut perierunt, aut in manus ſeruiles venerunt. Cœteri contra Hananum & Garamantẽ caſtra fortiter propugnabant, victorem Zanziberẽ rati, at cum cęſum eum, & adeſſe victores viderent, ſe permiſere arbitrio regis, tanta erat conſternatio, vt cum fuga ad naues tuta eſſet, potius hoſtibus occurrerent, vitam orantes. Dangalus claſsis præfectus cum nobiliſsimis nauarchorum pertæſi maris incommoda, in littore tentoria poſuerant, ducem ſecuti milites naues penè vacuas reliquerant, rex captis præfectis imperat, vt iubeant naues tradi, eadem formidine paruere: nec enim ad defenſionem, neque fugam ſatis inſtructi erant. Magnus nauium, atque apparatuum numerus eo modo comparatus eſt. Occaſione, & victoria vſus Abiſsinus in Memithiam proficiſcitur. Inſulæ Zanziber ſuos clientes præfecerat, & conſanguineos, militiæ rudes, lucro intentos, victoriam maturauit Zanziber cum tribunis circumductus, rogans, vt ſeſe dederent. Tanti refert prœlio victum animos & induſtriam retinere. Nam ſi victi in naues refugiſſent, & præſidijs inſulam muniuiſſent, facilè fuiſ-

fuiſſet, bellum æquo Marte trahere, nouaque auxilia exſpectare. Sed pauentibus nihil, niſi fuga, aut deditio, tutum videtur. Vallatus tanto exercitu, & claſſe ingenti rex, vrbibuſque in fidem receptis, inclyta præſertim gloria, quæ ad regnum obtinendum plurimum valitura erat, ſecurior agebat, gratuſque Deum venerabatur, quem tantarum rerum auctorem prædicabat. Gaudium victoriæ temperabant Ioannis literæ, quæ omnia Magadazæ ancipitia, & in deterius proniora nunciabant.. Moſambi incuria, credulitas, atque inde natæ præſidum iniuriæ animos abalienarant. Nec tamen triſtibus rex ſuccubuit, victoriæ nuncio, & felicitatis admiratione benigniores fore credebat. Munera igitur de hoſtium exuuijs, captiuos, municipia, veſtem, aurum, gemmas principibus mittit, magnificentiam addidit, dum onuſta iumenta, ſeruoſque longo agmine, ordinatoque duci iubet, concurrentibus ex omni parte incolis, ad videndum triumphum. adiecit epiſtolam humanitate plenam; quam quia plus quàm acies victrix ad conciliandos proceres valuit, deſcribere viſum eſt.

XLII. *Literæ regis ad proceres.*

Morte inopina parentis, atq; immatura, tantum animo dolorem cœpi, vt niſi me caritas patriæ, curaq; veſtri erexiſſet, fulſiſſetq;, dolori ſuccumbendum fuerit. Cùm enim nobiliſsimam inſulam & maris imperium ademptum, Quiloam fidem vrbem, regni clauſtrum, pericuLoſa obſidione quati viderē, medio in luctu, lacrymiſque properandū bellum fuit: ne regnū, ac fidiſsimi ſubditorum barbarica crudelitate lacerarentur: in paterna enim hæreditate adeunda, alia mihi cauſa non fuit, quā ſalus populi, principumq; dignitas. Deus, cuius maieſtati me meaque conſecraui, conatus adiuuit, illius ductu cæſus, captuſq; hoſtis. Liberata Quiloa, occupata claſsis, Memithia, & maris imperium receptum. Quare numini æterno, cuius beneuolentiam exordia regni noſtri ſenſerunt, pura mente gratias agetis. De me verò ita ſtatuetis, eū eſſe, cui veſtra ſalute, ſucceſſu, honore nihil ſit potius: pro commodis meorū, non modò

regnum, ſed vitam etiam paciſci ſum paratus. Animi mei vel hoc pignus tenetis, quod imperandi primordia non à pompa, luxu, ludicriſue, ſed à labore & periculis inchoarim, voluitque me Deus eodem penè tempore, regem & patriæ liberatorem promulgari, vt per quem commoda veſtra tueri, & augere decreuerit, cognoſcere poſsitis. Breui venturus pauciora ſcribo. Vobis ſpectatæ fidei, & prudentiæ Ioannem Epiſcopum commēdo. meo nomine de republica ille tractabit, vt ſecuritas & iuſtitia firmetur, & ſi qua patre meo ignorante ab improbis ſcelerate geſta, quoniam infecta reddi nequeunt, in poſterum vitentur. Manubias, & victoriæ, regnique primitias boni conſulite, parua illa quidem, ſed magni amoris, & futuræ beneficentiæ indubitata pignora. Valete. De præſidibus occiſis, de comitijs ſe inſcio coactis, omnia ſilentio tranſmiſſa, ne probare videretur, quod nollet, neue reprehenderet, quod illi fecerant, quos offendere periculoſum eſſet.

XLIII. *Abiſſinū manicongum occupat.* Euentu lætus, ratusque omnia victori prona, impetum animo cœpit, decreuitque Manicongum proficiſci, hoſti cladem reponere, militem peregrinâ præda ad auiditatem imbuere. Incitabat annua nauigandi tempeſtas, regni opes, vltionis cupido, gloria aucti imperij. Præcipue quod non dubitaret Taciarinatem Manicongi regem, callidum, forté, calamitate ferociorem, bella renouaturum maioribus viribus, inſulam aut alios portus improuiſo tentaturum. Interim præſidia, & caſtra ſibi in regno alenda, atque ad omnes nuncios trepidandum: melius eſſe in hoſticum mala belli transferre, & portu occupato, alieno in mari dominari. Tam præcipiti conſilio nullus aſſentiebatur, iuuenili ardori imputabant. Quippe multa pericula abſque vlla neceſsitate. Circum legenda Africæ extrema, ſcopulos naufragio infames, exercitum terra marique abſumi, fortunam regis ex fortuitis ventorum & fluctuum ſuſpendi, & ſi quem locum caperet, mox oppugnatum iri. Regnum male pacatum per abſentiam regis maioribus motibus ob-

obnoxium fore. Si quid aduerſi accideret, nihil niſi adoleſcentiæ temeritatem poſſe accuſari. Deinde Manicongios portus ad ſubita ſatis munitos. Periculum ab Arabibus eſſe. Famam denique formidandam Si enim per improbum aliquem fingeretur clades regiæ claſsis, non defore, qui ſeditiones & tumultus côcitarent. Proinde rex patriæ periculo terreretur, ſi non moueretur ſuo. Domeſtica ante omnia componeret, tum externa ſuſciperet. Triduo iſta diſceptata ſunt, Hanano & Garamante tum iurgio, tum lacrymis in diuerſum nitentibus, nimiaque ſuadendi libertate, vix conuitio temperantibus. Abiſsino etſi ſupra ætatem eſſet prudentia, & multa lectione iudicium expolitum: gaudebat tamen contradici ſuæ ſententiæ, ſi ratio probabilis redderetur. Si abſque argumento verba funderentur, imperitiâ offendebatur: ſi eadem repeterentur ſæpius, quaſi moleſtis, & contumacibus iraſcebatur. Adulatores, quaſi maledicos oderat. Nullo modo eos ferre poterat, qui conſilia ſermonemque ita regnantium voluntatibus attemperabât, vt quod ex vſu eſſet, promere ſuperſederent. Quare cũ familiaribus aliquando, qui ſenſa animi ſincere cordateque protulerant, equos generoſos donaſſet, alijs qui placendi ſtudio, aſſentari maluerant, cyrenæos catellos, blandiri doctos miſit. Intempeſtiuam adulandi curam non ſine irriſu deteſtatus. Omnibus igitur obſiſtentibus, vinci argumentis fatebatur, votum ſuum arduum, abruptum, plenum temeritatis & periculi, vacuum prudentiæ videri. Tanta tamen ſe fiducia, impetuque impelli, vt mutare nequeat. Hanc animi inductionem è cœlo ſibi ſuggeri, eſſe profecto aliquid humanis conſilijs ſublimius, fortiusque, quod in magna quædam principum cogitata prouehat. Monentibus ſubinde; ne temeritatem ſuam in Deum tranſcriberet, modeſte reſpondet: Deo duce, & auſpice Deo, nullum eſſe conſilium imprudens, aut temerarium. In concilio Dauidem Quiloæ epiſcopum cum vehementer contra tenderet, nominis admonitu refellit: Dauidem contra omnium con-

filia contra Philiſtæum pugnaſſe, ſe ſuo ſolius conſilio contra Tacſarinatem nauigaturum. Naues ergo in Memphiam cōuenire iuſſæ,nec quiſquam,preter eos,quos arcanis admouerat,quo iretur, erat conſcius. Nauigatio proſpera fuit,medio in oceano ſex regias naues obuiam habuere,ex illis ſtatum Manicongi intellexerunt. Vt in conſpectum vrbis Manicongi venerunt, miſſæ obuiam celoces à prætoriâ amicè exceptæ ſunt, aliæ quoque erant naues Manicongianæ, forma, picturaque notæ,in quibus aut transfugæ,aut Manicongis lingua habituque ſimiles, ſigna omnium nauium amica. Plurimi etiam AEthiopum in ſpeciem quaſi captiui, & mœrentes oſtentabantur, igitur quaſi ad victricem claſſem videndam, portus, littora, naues complebantur. Tacſarinas moræ impatiens aurata cymba occurrit, moxque in prætoria exceptus captiuum ſeſe ſenſit, reque ſubitâ perculſus obmutuit, inuoluto dein capite intra tranſtra ſe abiecit,neque Abiſsino benigne alloquenti reſpondit. Poſt iſta miles exſcendere, ciuibus amice ſalutantibus truci ſonore occurrere. Mox cædes & fuga, & tantæ multitudinis clamor immenſus, quo excitatus Tacſarinas clementiam victoris exorat, ne in plebem innoxiam ſæuiretur, continuo iuſsi cædibus & incendijs temperare,ciues in templa, & monaſteria inermes ſe recepere, militi præda conceſſa,ærarium à rege egeſtum, arma cunctis adempta, vrbs & vicina præſidijs munita, obſidum loco accepti principum liberi.Si quis turbidus, audax,verſutus, in AEthiopiam traductus. Omnis nauigatio Manicongijs vetita, vt mare dediſcerent, vrbibus maritimis coloniæ AEthiopum impoſitæ. Tacſarinas quamuis rebellis, pro regia tamen fortuna cultus; nam eâ clementiâ reliqui procerum illecti, ſeſe dediderunt, quos ad extrema conſilia deſperatio traxiſſet. Ipſe Tacſarinas etſi non iuſtam, magnam tamen rebellandi cauſam habuit, auarum & aſperum AEthiopis imperium.Plurimum mouit illius moderatio,nam rerum potitus omnes æthiopas liberaliter habu-

habuit, ac demiſit, quæque inueniri potuerunt bona reddidit. Subiectos AEthiopum ſæuitia, & rapacitate afflictos, ſumma æquitate, largitate, induſtria, recreauit, plane optimus regum, ſi arte ſceptrum accepiſſet, quà tenuit. Exiguo tempore gloria regni frui miſero datum eſt, quia rebellione inuaſit. Victorem beneuolum expertus, quia in victos ac ſubditos mitiſsimum ſeſe præſtitit. Sane omnibus miſerationem mouit, ſecum penſantibus, quam in lubrico ſtent regum nunquam ſapientibus inuidenda faſtigia. Videbant regem opulentum, terrà marique externa occupantem, velorum & veſtium colore deceptum, repentina conuerſione regno & libertate excidiſſe, vitam inimici miſericordia ſeruaſſe. In Ab ſsino etiam animi magnitudo tum maxime claruit, quod victoriam rem inſolentiſsimam in poteſtate habuit. Non extolli proſperis, non inſultare victo, non aſperiorem ſe familiaribus exhibere, minore corporis cultu, rariore comitatu, vota facere, templa adire, egentibus ſuccurrere. Sæpe illud vſurpare, ſibi cauendum ne victoriam, precioſum Dei munus, ſuperbia corrumperet. nec ſegnius tamen regni vrbes, & caſtella occupabat. in regem captum fieri impenſas, dictitans, regni fructibus iuuari ærarium. Reliquijs debellandis Hananum ducem conſtituit, ipſe terreſtri itinere, copias, captiuos ac theſauros reduxit: nihil enim neceſſe erat illa mari committere. Verum prius quàm reditum regis deſcribam, illa quæ Magadazæ in regia ſunt acta recenſebo.

Rege peregrè pugnante principes, nobilitas, vrbiumque legati de capite eius Magadazæ comitia agitabant. maiora domi, quam in acie pericula intentabãtur. Magna inter ipſos gliſcebant certamina, ſuæ quemq; cauſæ, paucos bonũ publicum mouebat. Pro rege Ioannes certabat. Diſcordiarum acerrimus exſtimulator erat Canorinus, ex contentione moram, & imperij regij deſiderium ſperabat. Conuenientium diuerſæ voluntates ac XLIV. *Factiones procerũ.*

 ſtu-

ſtudia. Principes regni adminiſtrationem ſibi tanquam ſupremo concilio deberi, alios dicto parere fas eſſe diſputabant. Neque nunc alios ſibi æquari paſſuros, quos hactenus ſolio proximi inferiores habuiſſent. Vrbium legati obſiſtebant, malle vnum regem, quam pro vno multos regulos. Si libertas placeat, eam omnium eſſe oportere. Eodem ſe iure vſuras, æquum eſſe in ſuburbanos vicos imperium ſibi concedi. Vrbes eſſe imperij firmamenta, ſeu neruum belli, ſeu mœnium tutelam ſpectes, quare cum in eas onerum præcipua recumbant, legibus & emolumentis æquari ſummis debere. Poſſe ciues ſuos ad ſuprema eniti, nec prudentiam, nec alia deeſſe. Multos principum nihil ad Remp. conferre, niſi maiorum ſtemmata, aliena bona, iam etiam deſita. Virtute ſe, non ſanguine niti. Aſperius omnino legati agebant, ciuilitatis imperiti, & faſtu principum irritati, quod illi pollui ſuam dignitatem cauſati eſſent, ſi cum ignobili ſedentariorum cœtu compararentur. mallè ſe regem, quam auita iura, & hæreditarium generis decus nō tueri. Nobilitas & ruſticana plebes, regem præligebant, pro vno domino, multos tyrannos veriti. Nec illi tamen diu concordes, principes in ſuam factionem nobilitatem illiciebant, data ſpe fore, vt vrbanis anteponerentur. Vrbes ruſticam ſibi plebem iungere tentabant, ciuium iure promiſſo. Iamq; parum aberat, quin in partes irent, quarum illa ſpecioſior, hæc valentior. Dominari ſocijs omnes nondum liberi conabantur. pacis colloquio lites accendebantur, vota in irritum cadebant, & nullo effectu conſilia ſua ipſi morabantur: dumque ſinguli ad ſuprema enituntur, nemo tenuit.

XLV. *Contra regium imperium oratio.* Dum inutili proceres diſsidio iactantur, Biaſar vir diſertus, litium magis, quam iuſtitiæ conſultus, hæc in verba perorauit. Si graſſantibus regio nomine in Aethiopia tyrannis, pro iure & æquitate dicerem, nec cruciatus, mortemq; euaderem, nec tamen vllum operæ precium facerem. Querelas enim miſerorum, conatumque æquitatis inter exordia dominorum inclementia, ſucci-

de-

deret:& ego tot millibus pro libertate & cæſorum accenſerer. Nunc vero ſi pro patria, vita, libertate, fortuniſque dicturo periculum imminet, veſtra culpa, veſtrũ dedecus eſt. Sub rege fatum meum fruſtra quererer, gnarus ſub illo imperio ſilentij cautionem vix eſſe tutam, dicendi libertatem ſemper exitioſam. Nunc vero veſtrum eſt, qui libertatem tenetis, eius auctores, hortatoresque à diſcrimine vendicare. Fortunam qua victuri ſumus in manu habemus: Non deeſt tamen multitudo, quæ feſtinat ad hæredem: alios etiam pertrahere nititur. libertatis inſcia, æterno digna ſeruitio. Venia tamen dignos arbitror, qui ex recenti timore nondum animos collegerunt. Vnius hominis, quem mors priuatum fecit, hæredem, maieſtate attoniti recuſare metuunt. Quæ, malum, illa animi eſt mollitudo, prauitaſue? volucres, beluæque vbi caueâ exceſſere, aut rupêre vincula in carceres ſuos rurſum ſe non recludunt, quanquã ſuauiter habitæ pro delicijs eſt cum inopia libertas, Nos tam dira paſsi ad manſionem malam properamus. At noſter animus cœlo datus ſui iuris retinens, & ſeruitij fugitans eſt, brutorum natura in miniſterium noſtrum facta eſt. Cur adſcito dominationis hærede æternitatem ſeruiendi nobis poſteriſque conciliamus? Paucos ante menſes vltra gemitum queri non licuit, tam liberos nos eſſe tædet, pigetque? Principum vetera patrimonia, ciuitatum felicium opes, agrorum fœcunditatem, fluminum mariumque opportunitates, omnium laborem ac ſanguinem, per luxum, fraudemque regia exhauriebat. Tot nomina præfectorum, tantam ſatellitum licentiam, nouas ſemper dandi cauſas, artes rapiendi, tributorum vocabula obliti eſtis? Nonne ipſa vita ſemper aulicis emiſſarijs obnoxia fuit? Quis vnquam tam hoſtes timuit, quam calumniatores? Tam male expéſa, tam crudeliter erepta, cuique ſeruare, atque in vſus ſuos reponere nunc liberum eſt. Hinc omnibus opulentia, ſplendor, dignitas, dein publice auctoritas, apud exteros honor & metus, cum opes & potentia domi eſt. In angu-

 ſtum

ſtum celebritas inſignium vrbium coacta eſt, cum negociationis commoda prędum auaritia intercipit. Negociatio ſine libertate eſſe non poteſt. Ne militia quidē ſuo dominis par eſt libera. Quis enim tam fortiter pro f ſtu, titulisq; dominantium pugnare, quam pro libertate potuit? Nemo in pericula promptus eſt, cui nihil acquiritur. Seruitus ſemper miſera, vile eſt mancipij nomen At nihil ſtolidius, quā dominum emere, cui pro ratione ſit lubido, pro lege arbitrium. Vidimus regios adulatores, æqui & honeſti normam ſola principis volūtate definire, quæ crebro exequentiū fraude, dum putatur impleri, deprauatur. Plerunq́ue pro regio decreto ſeruientium cupidines obtruduntur. In magna ſapientium copia, nefas eſt, in vnius aliquando non optimi arbitrio cuncta ponere. In pluribus conſilium eſt, prouidentiaq́ue, multitudo rariùs & tardius corrumpitur, nunquam ſimul omnis in fraudem inducitur. Bonorum interpoſitu, qui improbi ſunt, aut coercentur, aut corriguntur. In aulam peſsimus quiſque per ſimulationes, delationes, exilia & funera meliorum irrumpit. Rex noſter ne fratrem quidem ferre potuit, quanquam præclare meritum. Vis calumniæ ſanguinis amorem violentior excuſsit. At melius aget Abiſsinus, ſi regem eum dixerimus Hoc ſi quidem oraculo conſtaret, liber tamen eſſe, quam ſeruus mallem. Populi regnantis partem eſſe plus iuuat, quam dominum ſeruitio demereri, & alienæ proceſsionis, iumenti inſtar, eſſe portionem. Ex nobiſmet pendere nos, quam ex alijs conſultius. Atque hoc agere potius ne inuitis dura imperare rex valeat, quam ſperare benigne, & molli brachio regnaturum. Quæ vero in rege certa ſtabiliſq́ue virtus? Scelera ſi neſciat, regnum docebit; ſi erubeſcat, pudorem excutiet aſſentatio: ſi metuat, potentia ſecurum reddet. Ne exemplo careat, præibunt, quibus reges peſsimos eſſe, prodeſt. Quid vero miſeris, & remotis præſtare regis innocentia poteſt, ſi fraus

fraus potentium interuertit veritatem? & victrix exultat iniquitas? Libertas igitur in medio poſita eſt: de modo libertatis tuendæ multos iam dies agimus. Vereor autem vt nimio ſtudio libertatis, ipſa libertas amittatur. Quid enim dicimus? Principes, nobiles, vrbes, pagani non liberi modo eſſe, ſed dominari conantur. Non poteſt igitur pax vlla, aut Reſp. conſtitui, in qua iubendi, & parendi vices neceſſariæ ſunt. Sic igitur cenſeo. Omnes ſublatis tyrannis ad æqualitatem peruenimus: Communi labore pulſi ſunt domini. Ad clariſsima ituri, rectum iter teneamus. AEqualitatem libertatis laudo. Nulla pars alteri imperet, prærogatiuam honoris habeant principes, cœterorum par ſit poteſtas. quæ cum exponere vellet, indignati principes conſilio exceſſere, ſecuti deinde cœteri, plus controuerſiarum habuere. Patuitque facile factu eſſe, vt imperium excutias, emendare Rempublicam omnino arduum.

Altera die accenſis animis in curiam ventum eſt. Canorinus poſita ſimulatione pro regno locutus, maiores motus conciuit. Felix omnino eſſet humanum genus, & ſalutaria prudentum conſilia, ſi quam facile præſentis fortunæ pœnitet, tam in expedito eſſet meliorum facultas; nunc contra euenit: vrgentia mala excuſsimus, quæ in vacuum locum bona ſubſtituamus, nondum inuenimus. Atque, vt arbitror, haud ſatis conſiderate quærimus. Regias iniurias, præſidum contumelias, regni mala Biafar enarrauit: nemo plura, quam ego vidit, aut pertulit. In ſcelerum auctores vindicaui, regem, dum improbos vltum eo, infauſta ſors eodem exitio inuoluit. Nunc libertatis aſſertor, iniurioſæ, aſperæque dominationis accuſator aduenio. Verum & hoc accurate à Biafare præſtitum eſt, qui tamen poſtquam de repub. verba cœpit, indignatione liberrima abeuntium exploſus eſt. Neque mirum hoc, neque nouum, accuſare vitia, nemo nō poteſt, etiam qui maximis vrgetur. Rempublicā inſti-

XLVI. *Pro Abiſſini regno diſputatio.*

tuere, in qua ſummi infimique iuſta lege viuant, quam omnes approbent, non vnius eſt hominis, ne omnium quidem. Eam iam multo tempore quærimus, quicquid hucusque inuentum eſt, aut à pluribus, aut potioribus exploſum eſt. Quem ergo in poſterum magiſtratum habebit Aethiopia? Sine rectore conſiſtere tanta moles non poteſt. Malum eſſe præſtat, quam nullum. Regi igitur, aut optimatibus, aut populo clauus ille committendus eſt. Quocunque imperante, conſilium publicum, tribunal, exercitus habendus eſt. Temeritati enim, iniuriæ, hoſtibus obuiam eundum eſt. Senatus igitur audiendus, iudici parendum, miles alendus eſt. Vectigalia, portoria, decumæ, tributum dandum, hoc eſt, opum portio in vſus publicos eroganda eſt. Igitur & horum adminiſtri, eorumque vitia toleranda. Nec iſta eſt ſeruitus, Legibus atque magiſtratibus obtemperare eſt à Deo ordinata libertas: quam ſub legitimi regis poteſtate, qui eſſe negant, nec vim eius percipiunt, & nomine abutuntur. Nemo litem mihi moueat, nemo ante tempus ſeceſsionem faciat, tyrannidis patrocinium non ſuſcepi. Non poteſt ſalus patriæ, non libertas ſtare, niſi legitimis imperijs obtemperetur. Vinculum eſt humanæ ſocietatis imperandi, parendique lege præſcriptus ordo. Si regem nolumus, cum ſumma poteſtate conſtituendi, qui vicem regis fungantur, quos ne regia vitia inficiant, periculum eſt. Biafaris oratio eo in errore verſata eſt, quod dum contra ſceptrum nos armare conatus eſt, ita ſententiam dixit, quaſi in ſolo regno dominarentur prauæ libidines, & rege eiurato, mox ambitus, auaritia, dominandi affectus ſimul eliminarentur. At iam rege mortuo hærent in viſceribus, mentibuſque illa vitia, mutuoque conflictu inardeſcunt. Non manu noſtra, ſed fato ſuo rex cecidit. At nos eadem mala premunt: In hoc conſeſſu diſcordia eſt. ne Arabes deſciſcant, ne Perſæ regna inuadant, ne Romani vicina carpant, ne finitimi diſſenſione noſtra inuitati fœdera pacem-

temque rumpant, metus eſt. Duces, præfectos iam conſtitutos oportuit, iam conſcribendus miles, ſumptus maior ſponte conferendus eſt, aut ab inuitis extorquendus. Abiſsino aut parendum, aut bellum habendum. Faſtum regium odimus? at noſtram ſuperbiam amamus, fouemus. Vera audire ſi poteſtis, equidem dicam. Principes penes ſe ius eſſe imperij æquum cenſent, de gradu ſuo non cedunt, imponere ſibi, nobiſque regem malunt, quam in conſortium gubernandi ſocios admittere: nec miror: iam olim Societas regni damnata eſt. Duos ſoles mundus pati non valet, nos etiam vnus nimium vrit. In noſtram pacem principes conſentire nolunt, niſi imperent, & ſoli rerum potiantur, pares habere contumelioſum arbitrantur. Placetne vt his nos, noſtraque committamus? vt pro vno mille regulos adoremus? vt eiecti regis præmium ſit penes illos, nos ſola dominorum mutatione contenti ſeruiamus? Hoc ſi facimus, oranda erit modeſtia, ne in alto poſiti ſuperbiant, qui nondum rerum domini nos ita deſpiciunt, vt ſuam dignitatem noſtro commercio pollui iudicent. Oranda iuſtitia, vt ne ſibi plus æquo tribuant. Credo ſanè generoſi ſanguinis optimates omnia ad manſuetudinem, æquitatemque reuocaturos. Si tamen inter eos non nemo ſit arrogans, opum auidus, ſæuus, nonne contumeliæ exſpectandæ, auro erit ingluuies ſatianda? nonne multo ſanguine regnabit? Non erit quiſquam tam profanus, tam proiectæ audaciæ, tam prodigus famæ. Nec ego ſanè ſuſpicor; ne tamen eſſe poſſit nobis prouidendum eſt. Quid verò vrbes dura præfectorum imperia perpeſſæ? cur totis viribus annituntur, ne ſoli principes regnent? nempe ſua ſibi iura flagitãt, principibus non fidunt, grauiora quàm ſub regibus verentur.

Nobilitas iam pridem in regem inclinat, cum vrbibus ſimultates alit, paganis inuiſa eſt. Nunquam niſi ſub rege tuta erit. Quin agricolæ vt nobilibus ſuffragijs æquentur, toto corpore allaborant, ſpes ſuas præeunt, cunctis formidabiles, ſecum quâ incubuerint, cun-

ćta tracturi. Quorſum illa? Vt omnes non modò videant, ſed etiã ſentiãt, ſine rege legitimo pacem, & Remp. nullam eſſe poſſe. Cum enim ad ſumma rerum faſtigia omnes tendant, pauci tenere queant, cunćtos collidi eſt neceſſe: cum paucis etiam ſit artium bonarũ copia, quas adferant, neceſſe fuerit, multos per fanda infanda euehi. Verùm tum iſta, tum diſputationem Biafaris amplius perpendamus. Proceres regem, regnumq́; corruperunt. Fateor, Parum etiam eſſe præſidij in regis innocentia, ſi miniſtri nocentes ſint, noſtro malo didicimus. An verò quiſquam adeò væcors eſt animi, vt in libera principum, aliorumve poteſtate nullũ credat fore improbum. Cum vnius in arbitrio eſt regnum, non poteſt audacia procerum, niſi decepto, aut deprauato rege Remp. peſſum dare. In libera poteſtate nõ eget eâ fraude licentia, nec vltionem metuit. Leges infirmas collegę, agnati, affines, ſocij prædarum, etiam coniuges liberique euertent. Regnum docere ſcelera verè iudicamus experti. At magiſterium illud ſine regno celerius diſcitur, ardentius exercetur. Noſtri proceres iſta docuerũt, & plura rege ignorante nouerunt. Si ritè iſta putamus, reges diſcipuli, præſides magiſtri ſcelerum habendi ſunt. Quis verò iſta ignorat? Dynaſtæ, conſules, apparitores, ſcribæ, accenſi fraudes agitãt, vbi magnarum deeſt occaſio, minutas. At omnes bonos eligemus. Tam hoc nimium eſt, tantam eſſe bonorum multitudinem, ſimulandi etiam diſsimulandiq́; artificia in multorum potentia magis increbreſcunt, indulgent affećtibus, qui eligunt, ſibique magis, quàm publico vtilem, plerique promotum deſiderant.

Par diſcrimen in libera republica eſt, ne deprauetur, vt in regno, ita ſine regno magiſtratus mores agnoſcendos præbet, plerunq; verò ſubuertit. Omnis factio, cupiditas, occaſio prædandi ſcelera docet. Minor verò eſt in multorum dominatu quies ac ſecuritas, cum his neq; imperij, neque illis libertatis eſt modus. Quæ vnius auſpicijs, & velut anima regitur Reſpublica, ſibi concors, ideo-

ideoque ſtabilis eſt. Quare Africæ Aſiæq; gentes reges ſemper maluere. Romani non tam reges, quàm regum vitia exoſi, ſi pericula ingruerent, vnius arbitrio cuncta ſubdebant, donec perfectam monarchiam conſtituerēt. Nobis maior neceſsitas incumbit, ne regnum ampliſsimum fluminibus, montibus, ſolitudinibus maribus diuiſum, in plures dominos partiamur. Ne Arabs, ne Romanus, ne Nubius bellū paret, partemq, abripiat, dum nos lentis ſuffragijs & diſcordibus prœlia mandamus, pertimeſco. Agite quis Manicongiano reſiſtet? obſidio Quiloa premitur, Macho bello eſt inutilis, reuocare illū decreuiſtis: de ſucceſſore magno conatu belligeratis. Principes probro ſibi ducut, niſi ex ſuo ordine dux belli deſignetur. Cæteri principē eligi prohibēt, ne vi imperium ſuæ factioni ſtabiliat. Ex ſingulis ordinibus pari poteſtate ac iure duces mittere, eſt caſtra lacerare, & nuda hoſtibus obijcere. Quid verò ſi Macho cedere recuſabit? an alium exercitum cōtra eum ſcribemus? hinc vero ex quo ordine ducem præficiemus? eædem redeunt ſuſpiciones, ſimultates, eædem damna, formidineſque. Quid ſi illi inter ſe armati cōſpirent, atq; vniuerſos opprimant? Quæ igitur forma Reip. ſi vrbē nobiliſsimā, portum, ſocios, cognatos in periculo deſerimus, quia ambitioſa certamina deſignari militiæ ducem non permittunt? In medium ergò conſulite. Vni, an multis parere patriæ ſit conſultius. Vni, inquam, non pro libidine dominanti. vni, quem leges, quem iura patriæ ſtringāt, gubernent. quem lectiſsimorum ſenatus cingat, inſtruat, ſuffragio ſuo obliget, quem comitia publica coerceant, cui nos hoc ipſo tempore leges dictemus. Nolo regnū in quo eſt ſine ratione arbitriū, ſine lege obſequium. Sed quod magnatū auctoritate, prudentiū iudicio ita temperatū, vinctumq; ſit, ne in tyrānidem queat erūpere. Quod ſanctione inuiolabili populorū ſaluti atq; tutelæ ſit conſecratū. Quod tale ſit, quale ſententia veſtra, ac poteſtate ſeceritis. Quanquā & in illo peccatum iri non ambigo. Nullum hactenus ſine vitijs regnum

fu-

fuit & nos tale quærimus,quod minimis vrgeatur.Sane vbi optimates ad clauum ſedent, vbi populus rerũ habenas moderatur,ſub alio nomine eadem vitia graſſantur , multaque ſunt peſsimorum voluntatibus relinquenda.Neque ego quicquam mali ſub vno rege video, quod non ſub multorum dominio ſit multiplicato fœnore pertimeſcendum. Nec vlla libertatis ſpecies ſub multis dominis ſperari poteſt,quæ non facilius contingat ſub vno. Verum iſta omitto. Rex vobis habendus eſt,ſi in aliam Reip.formam nullus iniri poteſt conſenſus.

XLVII. *Rex abiſſinus agnoſcitur.* Poſtquam Canorinus conticuit, redintegratæ contentiones,pro ſua quiſque cauſa orationem illam interpretabatur,iamque inconditi clamores, & turba magis quam concilium videbatur , cum repente Sebaymus literas regias attulit, properarat enim , ne præueniretur, vtque integra re, animiſque adhuc deliberantibus interueniret , illis in comitio lectis, mœrere principes, hæſitare vrbium legati,quod ſpem dominationis nondum abiecißent:regemque formidarent iratum.at ſparſo per vrbem rumore victoriæ,nobiles, ciueſque gaudere,Abiſsinum regem inclamare, eo impenſius,quod præ principibus &vrbibus regi fauerant,iamque prima ſibi præmiorum ſpondebant.Biafarem agmine infeſto petunt,duos è familiaribus diſcerpunt,ne ſęuâ adulatione grauiora auderent,Canorinus inhibuit , monuitque clementiſsimum regem manſuetudine,non crudelitate colendum . Adoleſcenti non præeundum ſæuis exemplis . Crimine maieſtatis ſæpius innocentiam ſubuerſam eſſe . Biafar ad Abiſsinum poſtea fugit, clementiæ fiducia: nec abnuit rex, trepidanti tamen Garamas ſuaſit, vt quoniam nec regem ipſe ferre, nec illi fidere rex poſſet , ſaluis rebus aliò migraret , quod anno vertente factum eſt. Principes,vrbicique cùm fruſtra ſe obſtare viderent, reliquorum conſenſui ceſsére: regis aduětum veriti, nam breui adſore nunciabatur, iuſiurandum Ioannes excepit,cumque pręda adducta eſſet paucos poſt di-

dies, eam in proceres diſtribuit, luculentiorẽ illis partem, qui infeſtius egerant, ne metu res nouas molirentur. Omnium enim factorum, dictorumq́; obliuionem in comitio, & per regnum nomine regio promulgauit, puram chartam ſubſcripto nomine regis habebat, vt ſi quid ex vſu videretur, cũ poteſtate perageret. In ſenatu noui honores, noui tituli decernuntur victori, placari adoleſcentem officijs poſſe rati, atq; ita cunctationi excuſandæ adulationem intendebant. Ioannes conuentum diſſolui optabat, ne nouas regi leges, duras conditiones proponerent, quas concedendo regẽ, negando proceres offenderet. Quare hanc rationẽ inijt, vt quos fidos cognouerat, eos in prouincias cũ poteſtate mitteret, & de gratia regis ſecuros redderet, quos mobiles, turbidosq́; expertus erat, perhumaniter hortabatur, regi obuiã proficiſcerentur, exciperent, ampliſsimas commendationes dabat. Hoc modo neq; Magadazę, neq; in prouincijs turbare quicquã poterant, & ſui rationem habitam credebant, non neceſſario, ſed honorato officio ornati. Hi ergo miſsis ferijs, ad miniſtrorum delectum, equorũ ornamenta, veſteſq; parandas vertebantur, pleriq; tanto certamine, quanto de Repub. egerãt. Aemulos exſtimulabat Ioannes, regem aſſerens iuuenem, & talibus obſequijs capi: Lætus ad inania eos potius, quã ad pernicioſa delabi. nec fefellit omnes tamen, Turanus vir prudens, ſed regno iniquus Canorino impenſe gratulanti, quod regem adducturus iret, facete reſpõdit: Alijs prouincias, ſibi comœdias delegari. Eo enim tempore aulicæ cærimoniæ in immenſum excreuerant, adeo vt cum literis rex ſubſcriberet, decem & octo ad obſequium præſto eſſe oporteret. Atque ita maximam partem aulici ludicris, ineptijſque occupabantur.

Interea adeſt è Manicongo nuncius, rerum vt improuiſa, ita incredibilia memorans. Simul enim Abiſsinum eo nauigaſſe, viciſſe, regem cepiſſe narrabatur. Fidem tamen faciebat legatus, ſpectatæ fidei, & arcanis regis frequens, qui poſtquam Manicongianum diadema ſceptrum, XLVIII. *Reditus Abiſſini ad Nilum.*

trum,

ſceptrum, ſigillum, armillas, togam auream, vt iuſſus erat, templo intulit, ſacrauitque, regium diploma in publico poſuit, tum vero ſumma lætitia, concurrere, templa complere, agitare conuiuia, nocturnos ignes accendere. Tanta vis proſperis eſt ſucceſsibus ad fauorem: qua fortuna ſtat, omnes inclinant, noui in dies nuncij iſta firmabant. Abiſsinus porrò cùm reuerteretur, vetuit quenquam vltra Nilum ſibi occurrere, prætextu ne ſumptu, aut longa via grauarentur, re vera ne deſertis locis incondita turba tumultum cieret.

Ad Nilum igitur quà Zairano lacu euoluitur, ingens principum, nobilium, legatorum, priuatorumque regem videre cupientium multitudo tentoria fixerat, naues, cymbasque complerant, fremitu, cantuque omnia perſonabant. Abiſsinus in morem triumphantis coronatum, ſpectatiſsime veſtitum, atque armatum exercitum ordinarat, Taçfarinatem, nobilesque captiuos patrio habitu interpoſuerat, prædam curribus mulis, camelis, elephantis vehebat, magnis interuallis, quòd ſingula curatius ſpectarentur, ipſe currum ſublimis auro gemmiſque fulgens inſiſtebat, quinque ſtipatorum millia, equites peditesque cingebant. Horridum agmen, vt cui præter ferrum criſtasque purpureas nullus ornatus, ipſi atque equi ferro tecti, nudis gladijs, aut ad ictum intentis lanceis ibant, cùm citatiore gradu incederent, colliſa arma, loricæq; longæ ſonitũ dabant. Illo in ſatellitio maieſtate plenum ſilentium. Hæc non faſtu, ſed ſolerte conſilio faciebat, non ignarus inania illa plurimum apud vulgus valere. Taléq; ſe toto regno maieſtatis opinionẽ habiturum, qualem primi ſpectatorum feciſſent. Erat alioqui magnificus, nec vanus oſtentator, veru adoleſcẽtiæ ſuę auctoritatẽ conciliare publicæ pacis intereſſe credebat. Hoc ordine ad flumen acceſsit, vtrinque ad dena paſſuum millia turba ſpectabat, ad eius plauſum turbatæ beſtiæ, extraq; orbitam vagæ, quoſdam obtriuere. Præcipuũ in curru Abiſsini periculũ, grandibus, candidiſq; equis vectabatur, cui

cui præcipue generi pauor ineſt, igitur territi in abruptum ibant, milites haſtis rotas ſufflaminabant, & corporibus obnixi currum tenuêre, donec abſciſsis loris effuſis aurigis, fugę aperta eſt via. Rex improuiſo periculo territus manſuetiores equos iūgi imperauit. Ariolî genus hominum rude, & futurorum male præſagum, regi magnam, ſed breuem gloriam, vitamq́; regno cladem portendi vaticinabantur: Eos Bomilcar Pœnus Elephantorum magiſter, iræ impotens beluis obiecit conterendos, vltro inſultans, irridensque quod ſuæ fortunæ ignari, fata regi ac regno canerent. Melior regi mens, doceri ſe aiebat admonitu numinis, fluxam eſſe, quæ moriturо à morituris datur, gloriam, cum in amore plauſuq́ue fauentium pericula ſedem ponant, inſidiasq́; ſtruat ipſa felicitas. Hæc Deum agere, ne in rebus tam ſplendide vanis mortalium animi acquieſcant, cœlum potius, vnde origo, vbi finis illis eſt, continuo ſpectent. Facto Bomilcaris grauiter offenſus eſt, quia ſęuum, & alieno tempore. Ille tamen procerum ſententia abſolutus eſt, militariter magis quam ex æquo. Obtendebat Ariolis mortem legibus iam olim decretam, plebem veri inſciam, fraudibus illis dementari, improbis ſpes nouas oſtētari, Dominantibus ex impoſtura vatum certa pericula enaſci. Hoc loco ac tempore ſeditionis occaſionem fuiſſe. Se non diſputando, ſed re ipſa fallacias detexiſſe, turbas compreſsiſſe, cui cum nemo pro mortuis, & improbis contradiceret, cauſam obtinuit.

Eum mox grauior procella excepit. Caſtra numeroſi boum, ouium, porcorum greges ſequebantur, principes in flumine iuſsi regem præſtolabantur, quo in nauim quietius exciperetur, litora vndique accliuia, & naues ampitheatri ſpeciem efficiebant. Inde ſecundo flumine quingentis paſsibus natatu porcorū grex traducebatur, duo treſue in ſcaphā cōiecti, vexatiq́; totum agmen in auxiliū grunitu ciebant, atq; ita in aduersū littus ibatur, cū medio in flumine ortus Auſter ſcaphā & porcos raptabat, XLIX.

bat, donec ad eum locum venirent, vbi vado elephanti traducendi ſtabant, qui immundi animalis nec aſpectum, nec odorem tolerantes, in rabiem acti rectores, & prædam excutiebant. At Bomilcar, ſuum ferro conſaucians, atque in ſcapham fugiens, cruentum gladium oſtentabat, beſtia dolore & ira ſtimulata inſequitur (acerrimus eſt elephanti vindictæ ſenſus) fremitu cæteros aduocat, donec omnes tranſiſſent. Interea regem in nauem auratam, ſub tentorio ſerico proceres excipiunt, ibi ſolitæ gratulationes, honoreſque, iam vergente in veſperum die, crebreſcere ventus, criſpari fluctus, dein miſsis in cymbas principibus, turbo cuncta corripuit. Cœteræ nauium contractis velis, ipſæ humiles facilè in ripam euasêre, regiam ſublimem, tabulato ſtratam, eminente tentorio, pompæ, quàm Oceano aptiorem procella in lacum ipſum diſpulit, iamque venti pluuiæque noctem præcipitabant, nautico inſuper miniſterio carebat. Clauum tenebat Barnagus nobiliſsimus principum, at cùm imber caderet, tenebræ inhorreſcerent, in carinam ſe abdidit. Tanta erat, vel periculi inſcitia, vel ex metu amentia. Ad remos ſedebant lectiſsimi iuuenum, principum liberi, in tranquillo decora corpora, in tempeſtate, rerum inſcitia & conſternatione recta quoque ſuadentes turbabant. Abiſsinus, qui Melindenſibus exercitationibus rem nauticam didicerat, clauum arripit, atque in lacum nauem detorquet, ne ad cœca ſaxorum illiſa omnes in fluctus effunderet, remiges eodem tendere iuſsit, ſed illi neque officia, neque nomina nautica intelligebant, metuque torpentes, aut ſollicitudinum nimij mutuas operas præpediebant. Nonnulli, quibus animus præſentior, tabernaculum diſſecabant, atque in fluctus proijciebant, media nocte venti poſuêre. Ciſſæ è turri ignis apparebat, eò nauem rex dirigebat, lento tamen remigio, ne ante lucem appelleret, multa per tenebrarum licentiam veritus: Incredibili gaudio exceptus, curatis corporibus, in conſpectum ſe dedit. nec minus tamen toto regno ſparſa fama, Abiſsinum

ſum haultum fluctibus. Principes enim qui lacum celocibus percurſabant, cum tabulata,& velorum ſericorum, ac tentorij fragmina natantia inueniſſent, conuulſam procella nauem vulgauerunt, iam noua cœpta ſeditio caſtra vexabat. Natambal prauæ mentis,cui vetus proſapia animos, æs alienum turbandarum rerum neceſsitatem adſerebat, cœtus cogebat:Deum,ſublatis tyrannis, libertatem Aethiopibus vel inuitis reddere clamabat,concionabundus per turbas ſeſe inſerebat,teterrimis quibuſque ſtipatus, nulla publici ſtatus cura, prædæ Manicongianæ oculos adiecerant, eam turbatis rebus ſibi deſtinarant. Nec ambigebant principes,ſi vel vnica hora ſerius rex aduenıſſet,magnam cladē acceptuꝛos fuiſſe. ita regum fortunæ in peſsimi cuiuſque ſæpè poteſtate iactantur. At Natambal audito regem viuere, pugionem in pectus adegit ictu inualido, ferociam vis naturæ ſibi conciliatæ inhibuit. Rex curari ſaucium, venia donari, ſumptu iuuari imperat, tanquam mentis vitio & errore, non ſponte in facinus lapſum. Eam rem mirantibus, reſpondit: obeſſe illum non poſſe,teſtem regiæ clementiæ idoneum.Et ſanè pluſquam gratioſum in populos factum regis, cuius amplitudini par fama erat, faſtigium hoc clementiæ eſſe prædicabant, vix priuatis tentatum, regibus inſuetum. Rogatus quæ cogitatio in tempeſtate animum ſubiſſet? Feruente fluctu ad ſuprema animum paraſſe reſpondit.Sedato mari cogitaſſe: Nulli ignaro nauigandi committendam nauem. Manſitque illi per vitam omnem cura, ne reip.admoueret regendi neſcios: atque ex eo ortum prouerbium eſt:Principes ad remum: cum negocijs rerum imperiti præficiuntur.

L. Tranſito Nilo populi multitudinem, intra triduum redire domum iuſsit.cauitq; edicto,ne quiſquam in caſtra admitteretur,niſi quatridui cibaria adferret,& tertio die abiret.Diſciplinam enim caſtrorum,ignauę multitudinis contagio remitti videbat, annonam accendi, perpetuaq; inter ementes iurgia. verebatur turbam, vt

Regis iter Magadazam.

non habilem ad fortia, ita ad praua leuem, mobilemq́; ipſe iam cocurſum, laudes, obſequia faſtidiebat. Principi enim prudenti cita pomparum ſatias eſt: nec ſpectaculum triumphi curat reponi. Quare vrbanos agreſteſq́; extra vallum tendere iuſſit, & exercitus proficiſcentis eſſe ſpectatores. Militibus etiam miſsionem petétibus concedebat, præda onerati & diuites eam petebant, atq; ita in patriam pacati, ſine noxa diſcedebant, famaq́; ſecunda regnúm implebant, ita multitudinem paci grauẽ minuebat. Magadazę exquiſitis honoribus exceptus, ac coronatus eſt. Initiamenta regni ſolita, addi conſuetis nihil permiſit, quamuis amor in illum ſubiectorum ad inuſitata proſiliret; verum modeſtia famam augere, quá faſtu offendere magis regium duxit. Magnificentiam & cærimonias recenſere omitto, quando nihil in toto illo genere ſublimius, aut ſpectatu dignius fuit, quàm regis animus iſta ſpernentis.

LI. *Atrox factum Tacfarinatis.* Gaudia plaudentis, & penè laſciuientis vrbis atrox captiui regis facinus clauſit. In arcem ſuburbanam Abiſſinus triſtem ablegarat; ne ex comparatione fortunæ alienæ ſuam dolentius ferret. Cuſtodes addiderat, cætera obſequia ex priſtino ſplendore adeſſe iuſſerat, iuſsiſque eius parere. cum proceribus ergò epulabatur, clades alloquio, luſu, quæque alia mœroris auocamenta ſolabantur. Dein legatum ad Abiſsinum mittit, rogatq́; vt Zanzibarem, duceſque cum illo captos ad ſe mittat, maius ſibi ſuiſq; ſolatium dari non poſſe. nec difficulter impetrat. Prima die hilariter habiti, omniaq; amicitiæ ad amuſsim ſimulata, ſequenti luce, cum iam lætitia diffunderentur, ipſe cum paucis exurgens, monitis miniſtris, Zanzibarem paucoſque alios vinciri quaſi per iocum, & laſciuiam iuſsit, qui cum magis mirarentur, quá repugnarent, omnibus vinctæ ſunt faſcijs, cinguliſque manus. Tum verò Tacfarinas vultu ac voce mutata intonat: O improba mancipia, veſtro metu, ignauia, furto, perfidiâ, proditione, exercitum, regnum, regem, poſtremò vos ipſi perdidiſtis. Hic vindictæ locus eſt.

atque

atque vtinam vt animo meo, ita etiam libera poteſtate, acre ipſa iraſci poſſem. nunc meritas pœnas nimium celeri nece euaditis: poſtquam omnia probra attonitis ingeſsit: ſonare tubas, tympanaq; iuſsit, omnes variè tortos laceratoſque, præcipuè Zanzibarem, occidit. Relicta inter epulas cadauera ſpectantibus horrori fuére. Tacfarinas alio in conclaui conuiuium inſtaurari iubet. Abiſsinus haud aliàs viſus iratior, ſupra modum, & regium decus excanduit. Miſſus è veſtigio, qui captiuo exprobraret: Regem fraude eluſum, diem feſtum, regiam domum, ſacra menſæ violata, fidem nec regi, nec Deo ſeruatam, alienos captiuos trucidatos, ergo moriendum illi quoq;, mortis optionem tamen dari. Ad iſta nihil Tacfarinas: ſcelere efferatus, preces dedignatus, codicillos popoſcit, atq; hæc ad Abiſsinum exarauit. Mori me iubes, nec præter morem, quippè victor victum. Vtinam in prætoria tua cecidiſſem, ſine ſenſu vitâ exiſſem. nunc per ora hominum me circumduxiſti, & fraude captum triumphaſti, vt me victũ ipſe ſentirem. nec hoc accuſo, victoria oſtentationem poſtulat. Illud inſuper hiſtoriæ mandabitur, eodem die mihi viuendi, tibi triumphandi finem fuiſſe. Vitam non peto, calamitas voto mortis propior eſt. Necis optionem nó admitto, tu qui mori imperas, durus arbiter, etiã mortis viam edice. Nolo illud tibi debere. Nec tamen deeſt, quod te rogem, rex regem, captiuus regnantem. Vt liberos meos tibi commendatos habeas, quos opto nó nimium meminiſſe ſe rege natos, nec obliuiſci. illud ne ſcelice auſu regnum affectent, hoc autem vt nihil origine ſua indignum committant Quod ob ſeruos meos, proditores iure cæſos me accuſas, iniquè facis: nec te iudicem, nec tuos agnoſco. Cauſam meam reges, & fama poſtuma iudicabit. Bellum contra patrem tuum geſsi iuſtiſsimum, à te victus nec ius in regnum, nec dominium in ſeruos amiſi, calamitas opes meas frangere potuit, non iura eripere, quæ me tam Macorgi, quàm te Aethiopiæ regem faciunt. Cur me-

tu iniuriâ captum occidere valeas, non poſsim ego proditores? Arte vſus ſum, te fefelli, fateor, tu quoque fallendo me viciſti. Dolus tibi regnum, mihi vindictam attulit. Cauſa fraudis, nolui contra ſeruos rex cauſam dicere. Nec idoneum te vltorem criminum putaui, quæ plurimum Aethiopię profuerunt. Inter ſacra menſæ legum vigorem exercui, quia clauſa tribunalia præuidi. Nulla iura violaui, quæ mihi in meos integra manſêre. Honores à me maximos, opeſque habebant, ſtrenuè acturos iureiurando aſſeuerarunt, me abſente, ſuo vſi ingenio, bellum ſpontè traxerunt: incuria, ignauia, voluptatibus rei gerendæ occaſionem perdiderunt, naues deſeruerunt, Memithiam ſpoliarunt, præſidio nudarunt, non in bello victoriam, ſed quæſtum quiſque ſuum libidineſque propoſitas habuerunt: hęc duces tui, tuque ipſe ſæpè narraſti. Nec tamen illa nunc in milite accuſo, quæ iure ſemper punita ſunt. Sit ſanè militum optimus, qui minimum abeſt à peſsimo. Vnicum meorum ſcelus vlciſci placuit. Centum triginta millia in armis habere me exiſtimaui, præter nauales copias, tabulæ legionum tot nomina exhibebant: his commeatum & partem ſtipendij ſoluebam. In menſes ſingulos ſupplementa mittebam, nõ ignarus morbis, velitationibus, transfugijs, ipſo tempore exercitum minui. At proditores vix quadraginta millia in caſtris habuêre: illos ipſos parum fortes, & fraudatis ſtipendijs infenſos. Hoc in facto minimum ſcelus eſt peculatus, ſemper grauiter punitus. Minimum, inquam, malum, quamuis grande furtum. iuriſiurandi religio tam ſanctè concepta, tot execrationibus firmata, ſceleratius eſt violata; ſummum eſt facinus; regis, regni, exercitus, ſuimet võlũtaria proditio. Si te quadraginta millia ſub ſignis habentem ire contra centum millia ſuadeat ſenator, dicatq; parem viribus eſſe, nõ proditorem putabis? Eo tætriorem, quod non ab hoſte, ſed à te proditionis precium extorqueat. Nonaginta millium mei duces à me ſtipendia exegerũt, vt me proderent: eorum mihi ficta nomina obtulerunt.

Hoc

Hoc eſſe impune iubes? vltorem damnas? Si tuus Hananus, aut Garamas iſta patraſſet, iá meus tu captiuus eſſes, atq; ego te miſeratus, proditores tuos, nó minus, quá tu, odiſſem, tibique ad ſupplicium etiam non poſcenti, dederem. Tāti flagitij exemplum ex rebus humanis auferendum eſt. Domum tuam cœde fœdatam quereris, ego inſigni monumento ornatam arbitror. Tu, ſi morientis monita non ſpernis, ſi quos eius culpæ reos habes, eodem in loco occide. nulli nomina pro viris obtrudenti parce. Hæc vera, atque animo libero. nil metuo moriturus. cras cum voles, percuſſorem mitte. vale vt meretis. Sæuitiæ tuæ ignoſco.

Lectis in conſilio codicillis, ignoſcere regi placuit, valuit ſeu conſtantia, ſeu liberrima contumacia ad miſericordiam: magis tamen eius regnantis in Aethiopas captiuos lenitas. Placuit etiá ſeueritatis exemplum: paulò poſt cognitú eſt, tribunos Abiſsini bidui ſpacio quaterna millia clam conſcripſiſſe, vt albo militari cohortes reſponderent. Sanè rex nunquam niſi morte tā perniciosũm peculatum, & bonorum publicatione puniuit. Tacfarinati Aethiopes cuſtodes, & miniſtri dati, atque erepta omnis coercendi poteſtas: vt materies ſæuitiæ ſubtraheretur. Hiſce igitur peractis, ad ſeria, curaſq, regni, vera regis officia ventum eſt. Ioannes iuſiurandú Melindæ pronunciatum ingerebat, rex ipſe ex aſperrimis rebus eluctatus, non ignorabat, tantum numinis fauorem, non ocij, faſtus, aut voluptatum illicem eſſe, ſed ad vigilātiam, modeſtiam, ac catenatos labores vocare. Etenim ſi ſingulis hominibus ad ſalutem labos virtutú neceſſarius eſt, ad eum multò religioſiùs principes obſtringūtur, quorum virtutibus ſtant regna, vitijs cadút. Hic tamen conſilium regium, & rex ipſe tot hoſtium victor difficultate terrebatur. Et profectò mirari vix ſatis eos poſſum, qui regnantium gloriam ſola bellica virtute metiuntur, laudatius eſt homines rectè gubernare, quam occidere. Hoſtem vincere, hominem molle animal necare perfacilè eſt. Hæc celeritas, robur, altus,

LII. *Morum emendatio difficilis in Rep.*

militum alacritas, imò ipſa vitia, vanitas, fraus, auaritia, libido, odia, crudelitas adiumento ſunt. At vitijs bellũ facere, quæ ex natura enaſcuntur, quæ vſu inolita, non magis, quam ipſa natura ab homine ſeparari poſſe vidẽtur, arduum eſt: nec hic, niſi à ſolis virtutibus quę rariſſimæ ſunt, auxilia habentur: eò infirmiora, quod optimorum etiam virtuti contra domeſtica vitia ingẽs ſit prælium, eaq; cauſa ad externa debellanda tardior veniat, fractiorque. Omninò experientia docet, etſi multi ſuas cupidines cohibeant, pleroſque tamen alienis extirpandis impares eſſe. Hoc malo tum Aethiopia laborabat. Legum imbecille erat præſidium, quæ ita moribus ceſſerant, vt non niſi per ludibrium citarentur. Nec pudor inhibebat; nemo enim culpat, quod omnes faciunt, honeſtum habetur, quod publico exemplo nititur. Nemo erat qui ſe moribus opponere, cunctis conuitiũ facere, omnium iudicijs, plurimorũ odijs onerare vellet. Proinde ne vitijs impar eſſet, & in primo molimine cenſura opprimeretur, ſenatui iuſtus erat metus. Ioannes tamen vrgebat, Deo fidẽdum, eius auxilio vitia expelli, virtutes inſeri. corruptiſsimo olim mundo Euangelium eſſe datum, mores correctos: nunc eandem vim ſacris eſſe. Supereſſe multa innocentum millia. capeſſant modo Remp. In omnia validum eſſe regis exemplum.

LIII. *Initium emendationis in Rep.* Rem ergò arduam aggreſſus rex, duplex conſilium inſtituit. Alterum ſacrum, liberumque, cui præſidebat Manahemus patriarcha, homo auarus, callidus, religionum negligens: omitti tamen non potuit, quod eius auctoritas decretis neceſſaria videretur, nouem illi adiuncti Epiſcopi, qui de moribus corrigendis tractarent. Aderat etiam Ioſadecus monachorum toto regno præfectus, ætate, virtute, prudentia princeps. & nomine regis Ioannes. Alterum conſilium regium vocabatur, cui rex ipſe præſidebat acer iudicio, impiger laboris. Hic Hananus, Garamas, Canorin⁹, Sebaymus principes agebãt.

Conſilij ſacri decreta ſancta & fortia fuére: Manahemus, quanquam emendationem magis formidabat,

quam

quam promotum cupiebat, omnia ſuſpicionis vitandæ cauſa pia, rectaq; cenſebat: ita fieri in rebus humanis amat, peſsimi principum optimas leges ſanxere. nec mirum: optima vita laborem, honeſta ſententia laudē habet. Crebrò vitioſiſsimus alienæ culpæ cenſor eſt acerrimus, & ſeueritate iudicandi odium peccati oſtentat, & quam patrandis contraxit, inſectandis criminibus depellere infamiam laborat. Manahemo ſanè prauos animi affectus, auſa impia damnare in procliui erat, excutere, & vetare operoſum, atq; arduum. Initio decretum, vt Epiſcopi toto regno omnes ad honeſtatem, iuſtitiam, pietatem hortarētur verbis, exemplo ac factis præirēt: & quoniam animus purus Dei eſſet cultus optimus, ad virtutem reducerent, ſi quos ab innocentia receſsiſſe cōperiſſent: Epiſcopi in menſem ſextum adeſſe iuſsi Synodo habendæ. Præſulum plurimi parum probæ vitæ vitaturi concilium exiſtimabantur, metu cenſuræ, quē vt demererent, cauſa conueniendi præſcripta fuit. De religione, moribus populi, de iure ac dignitate Sacerdotū, de recuperandis Eccleſiarum poſſeſsionibus actum iri. Hac arte pellecti & mali, quaſi de ſuis commodis tractaturi: vt tamen interea pietati conſuleretur, iuſsi Sacerdotes ſacras conciones celebrare, dies obeundis myſterijs indicere, leges contra intemperantiam, iniurias, impietatem latæ, quia verò lapſa diſciplina parum momenti ſacræ leges habebant, adiūcta edicta ad præſides prouinciarum ſacerdotibus aſsiſterent, ſpecimē virtutis ipſi darent, cęteris prælucerent, contumaces coercerēt, omnia maturarent, in diuina gloria procurāda, iraq; deprecanda lentitudinem eſſe culpabilem, celeritatem, & alacritatem in primis requiri. Porrò præſules iuſsi, Manahemo, præfecti regi ſucceſſum perſcribere. Tantū apud rectos Dei veneratio, apud alios regis demerendi valuit ſtudium, vt celerrimè mandata vulgarentur, cętera q; fierent: iamq; magna & repētina mutatio argumēto erat, mala morū eſſe volūtaria, nec de peſsimis, nec de publicis deſperandū. Pleraq; mala perſeuerare regentiū

metu, aut conniuentia. Tanta Magadazæ publicè modeſtia viſebatur, vt templi inſtar vrbs videretur, regis comitatus & miniſteria ex maturis ætate & virtutibus lecta, ſatellitium ex robore militiæ, adoleſcentum regia educatio, literiſque armiſque iuxta exercebantur, nihil impium, nihil laſciuum illa aula tolerabat, excundum illi erat, qui nollet eſſe pius. Nihil felicius illa republica, in qua à capite in ſubiectis honeſti exempla dimanant.

LIV. *Initio Synodi patriarcha exploratur.* Synodus deinde celebrata, omnium quæ in Aethiopia fuerunt famoſiſsima: tam rerum magnitudine, quã perſeuerante in poſterum fructu. Interfuere centum quadraginta Epiſcopi: eos rex perbenignè excepit. Cũ initio quæreretur: Legitima ne Synodus videretur, omneſque conſenſu aſſeuerarent. Alanor inter præſules infimus, nequaquam ſibi videri legitimam cenſuit, cui homo auarus, fraudulentus, adulter, rerũ ſacrarum caupo Manahemus præſideret: ſe verò ad illa probanda paratum veniſſe. Audacia Manahemũ, malè ſibi conſcios omnes, atque adeò regem & innocentes perculit: impedimenta enim, & moras obijci videbant. at ille cœpti peruicax, nec regi, nec Synodo cedere. Regni vniuerſi hunc in cœtum coniectos oculos, leges ſanctas non eſſe nefandi hominis conſortio infamandas. Iniquum eſſe vt alienæ vitæ famæque ſedeat iudex, qui prodigus fuerit ſuæ. Manahemum tandem perpulit, ſeu verecundia, ſeu quo fiduciam oſtentaret, vt iudices poſtularet, negaretque ſe quicquã publicę rei acturũ, niſi famę reſtitueretur. Triginta iudices dati, additus præſes iudicij, at plerique erant ſuſpecti, non diſsimiliũ rei: quod animos patriarchæ faciebat, vt tanquam victorię certus ferocius ageret. Verum ex arcano numen aliter ordinauit, poſt multã enim diſceptationẽ, ſuo ipſius teſtimonio conuictus eſt. Regnãte Moſambo Seradenum offenderat, qui vindictę cupidine in eius omnia acta inquiſierat, corruptis etiã domeſticis. cũq; omnia ad accuſationẽ parata haberet, Manahemus precibus, pecuniaq; hominem ſibi con-

conciliat, omnia illius arbitrio in poſterū facturum pollicetur. nec tantum potentiæ ſuæ fulcimentum Seradenus omiſit, pactum vt patriarcha propria manu reum ſe criminum teſtaretur, intra triennium terna talenta ſolueret, chirographum, accuſationemque reciperet. occiſo Seradeno ſcriba tabulas abſtulit, atque ad Alanorem fugit. Incertum cur tabulas potiſſimum rapuerit, an vt Manahemo gratificaretur, an vt aurum extorqueret, nam omnia daturus videbatur ſenex, quam vt dedecora vulgari fineret. Paulo poſt ſcriba quoque occiditur à ſocio proditus. acta igitur infamia in iudicium Alanor cum protuliſſet, territus Manahemus defenſione abſtinuit, & iudicum ſeueritatem abdicata dignitate præuertit. Vnum effatus: Inuenit vindicta nocentem. Diuturnam deinde magno in mœrore vitam egit. Vitia, quæ illecebris mulcent, voluptateſque ſenectam deſerebant, quæ torquent, ſeſeque vlciſcuntur, vt auaritia, iracundia, inuidia, impatientia, moroſitas augeſcebant. Poſtremo acres morborum dolores ſubegerunt, vt male factorum pœnas agnoſceret.

Subrogatus annitente rege Ioſadecus, in eum etiam mali tanquam facilem, ſimplicem, & nihil auſurum cōſentiebant, Ioannem alioqui cunctis præferendum, velut grauem vitijs ſuis metuebant. Verum & hic illos opinio fefellit: Ioſadecus antiqui moris, & legum tenax tēporibus ſeruire neſciebat, rigorem veterem ſequebatur, mores legibus attemperandos, non cupiditatibus leges ſubijciendas dictabat, quare initia turbulenta habuit, Ioannes inſita ſolertia, vſu, atque artibus aulæ inſtructior, conniuere, diſsimulare, nō impetu omnia perfringere, adducere quam pertrahere malebat. Nouus ergo patriarcha, de Epiſcoporum moribus primo quærendum cenſuit, indignos gradu mouendos. Synodum ſacram bonorum virorum eſſe oportere, nullam eſſe ſpem populi in officio continendi, niſi ſacerdotes vitâ monſtrarent, quæ docerent præcepta virtutum. Leges eſſe iam nimium multas, omnem curam irritam fore, ſi

LV. *Noui Epiſcopi electi.*

illas primi violent cuſtodes. Opus eſſe nouis præſulibus, innocentibus & contra mores prauos validis. Minax illa & priſcæ ſeueritatis oratio: Acerbæ hinc diſſenſiones, quorum vita integra patriarchæ conſentiebant, cœteri numero ſuffragiorum vincebant, & quaſi pro ſalute, quæ vna in fuga iudiciorum cernebatur, feruenter dimicabant, boni quaſi in aliena cauſa languidius agebant, iamque ſeceſsio, & ingens confuſio, præcipue calumniæ contra innocentes metuebantur, cum Ioannes ſolerte conſilio periculum diſcuſsit, auctor erat Ioſadeco, vt alijs ſpem oſtentando, alijs præcidendo, perculſos diſtraheret; ne metu ad maleficium impellerentur. Itaque quaſi cederet, de religione primo querendum promulgauit, decem Ariani, duodecim Samoſateniani ſunt damnati, & ne turbas cierent, in cuſtodiam dati, quinque qui cædibus contaminati fuerant, à ſatrapis accuſati à nullo defenſi, in crimine confeſſo, in carceres coniecti, horum in locum viginti ſeptem, genere, ſcientia, moribus, & auctoritate præſtantes ſubſtituti ſunt. atque ita bene ſentientium pars numero, auctoritate præſidis, fauore regis præpollebat. Nam quindecim alios addiderunt, quos Manicongi vrbibus præficerent, quæ nimium paucos præſules habebant. quorum eodem modo ex virtute delectus. Inter hæc edicitur, vt ſi quiſpiam conſcius ſibi eſſet, aut alioqui negociorum pertæſus, ocijq; cupidus, dignitati renunciaret, ſi vellet, regi Synodoq; futurum curæ, ne inhonoram, aut indigam ſenectam agerent, famam in integro fore, actionem in eos non daturos· octo vſi illo beneficio, quibus extemplo dati ſucceſſores. Supererant nõ ita multi, ſed audaciſsimi, qui erumpere & turbas ciere, quam iudicium ſubire malebant, conſpiratio ab vno conſciorum prodita, iudicum & regis inclementiam intendit, indici data præmia.

LVI. *Sotadis interitus.* Semotis è concilio improbis, piorum facilis erat in ſalutaria conſenſus. Diuina maieſtas, ſalus populi conſultantibus erat propoſita. Nemo iam vel commiſsi cri-

mi-

minis patrocinium, vel patrandi licentiam quærebat, hinc incorruptum iudicium, & voluntas recti probatrix. Ambigentibus deinde vnde tot abuſibus remedia pararentur, aut à quibus inchoarent, ſors occaſionem obtulit. Sotades Manahemi ex ſorore nepos, medio foro, ſcorti amore labefactus riualem confoderat. Cauſam cædis attulit, quod per contumeliam ab eo ſacerdos ſcortator appellatus eſſet: ſe nec ſacerdotem, nec ſcortatorem eſſe. Hanc iuſtam vltionis cauſam aduocatus probare nitebatur, priſtina potentia, immenſis opibus, quibus animos iudicum quateret, non æquitate cauſæ fiſus. Cum venale iudicium non inueniret, & occiſi frater ius adurgeret, mors denunciata vincto; territus in eiulatus & lamenta effundi, dilationem rogare, ad regem prouocare. Cum fruſtra eſſet, ſacerdotem eſſe ſe iurat, quod ante iureiurando negauerat. Iudices qui inficianti crediderant, fidem affirmanti non habuerunt. Ille omnia moliri vt mortem euaderet, quæ quod aſſuetas illi voluptates extorqueret, triſtiſsima videbatur, animus per delicias mollitus, aduerſum aſpera imparatus, contra mortem durari non potuit: Igitur cum præter Eccleſiam in qua Synodus agitabatur, ad ſupplicium duceretur, horrendo boatu regem, & patres inclamat, omniumque aures aduertit. Rex mittit, qui interroget, quid velit? Sacerdotem ſe eſſe aſſerit, hoc Synodo probare velle. Miſsi tres, qui miſerum audirent: Ex eo cognitum anno ætatis duodecimo ab auunculo, ſacerdotio initiatum, à diacono id in tabulas Eccleſiaſticas relatum, eum ipſum, adeoque auunculum teſtem eſſe: tabularia inſpecta fidem fecerunt. Ingentibus eum diuitijs Manahemus auxerat, plurimorum ſacerdotiorum ad eum fructus redibant; non facile Epiſcopum ille vel curionem ordinabat, niſi pacta ad nepotis neceſsitates pēſione. in quibus magna opulentia, mercenarijs titulis, labores, officium delegabat, Sotadi emolumenta dabat. Plurima etiā mercabatur, quæ omnia ille per nefas parta, nequius

dila-

dilapidabat, per cauponas & luſtra volutatus. Synodus audita cauſa, pronunciauit Sotadem ſacerdotij priuilegio priuatum, iudicibus permitti. Ea nocte in carcere mortuus eſt, cadauere ad conſpectum integro, oſsibus in modum farinæ contuſis. Animam à malo dæmone eliſam rumor fuit, nec abnuebant ſapientes. Rara eſt enim in peccatis ſacerdotum, opum ſacrarum abuſu, & publicâ offenſione populi, vera reſipiſcentia. Facilius hic inuenias innocentem, quam ex animo pœnitentem. Exinde patuit magnum eſſe numerum adoleſcentum, qui tenera ætate, parentum cupiditate, in ſacrum ordinem ſuſcepti, Eccleſiam per dedecus fœdarent. Quin & illud notatum tam illos, quam parentes vt plurimum mala morte perire, familiasque euerti. Inſtitutum igitur, ne quiſquam ante annum vigeſimum quartum, probata virtute, doctrinaque in ſacerdotes cooptaretur, ſuoque officio fungerentur, ſacras literas tractarent, populum docerent, laudes Deo ipſi canerent. Obuiam etiam itum eſt, quorundam opibus & ſanguine tumentium arrogantię, qui cum Deo cultus haberetur, per vicinas porticus, aut etiam templi ſpacia inambulantes profana colloquia miſcebant: quamuis autem pſallentibus aſsiſterent, vocem tamen in cantum ſoluere dedignabantur, id muneris pueris, miniſtriſque delegabant. magno maieſtatis immenſæ contemptu, damnabilique pudore: cum omnium hominum, etiam regum ſit præſtantiſsimum opus, laudare Deum. Rex ipſe proceresque feſta luce ſacra carmina concinebant, mirati eorum ſtultitiam, qui nobilitati ſuæ probroſum ducerent, diuinum numen ſonora voce colere, cum tamen potentes per adulandi ſtudia, falſis laudationibus ambirent. quod animi eſt abiecti, ſordidique.

LVII. *Sacerdotum corruptelas eſſe à ſecularibus.*

Hanc tam piam patrum curam ſiniſter in populo rumor excepit. Inculpatos ciuium mores, Rempublicam eſſe ſanam, ſacrum ordinem vitijs corruptum, id adeo nunc clarere. ibi enim eſſe morbos, quo remedia congerantur. Iam vero non in circulis modo, & conuiuijs, ſed libel-

libellis quoque famoſis iſta iactabantur. Eſt enim populus alienæ culpæ vehemens inſectator, non odio peccati, ſed in ſolatium ſui, dum conſortio criminum ſua minus æſtimat. Hodieque ſeſe exerit illa malignitatis indoles. Nam quorum ructibus vomituque aceſcit aer, ſobriorum cænulas traducunt, quoſque olidos putrefecit Venus pudorem clamāt periſſe de rebus, ſi de miniſtris domini quiſpiam aliquando culpæ ſuccumbat, ipſi auro furtiuo fulgentes pexiorem ſacerdotis togam accuſant. Tam præcipites cenſores graui edicto Synodus increpuit. Nimirum vitia ſacri ordinis correctum iri, nec minus tamen ciuium, ab illis inchoari, in hos deſiturum eſſe cēſuram. Eſſe eā in ſacros homines ſeueriorē, quod illi meliora profeſſi exemplo plus noceant. Ciuium tamen nobiliumque delictis Eccleſias grauari, Clerique ordines vitiari. Adoleſcentes quippe à parentibus neglectos, nulla honeſta arte imbutos, ſeruulorum corruptelis deprauatos, tum demum præſulibus offerri cum malis inſueuerunt, cum parentes educandi tædio, mores eorum tolerare nolunt, nec tam veræ pietatis ſtudio, quam cupidine opum duci. Tardè conſueta dediſcere, cito reſumere, ambiguos religionis & mūdi. Cauſas tanti mali in parentibus hærere, à quibus vitiorum hæreditatem citius capeſſant, quam virtutem agnoſcant: iam domi corruptas, prauitatem ſacris liminibus inferre. Non ignorare patres, optimorum patrum quoſdam filios eſſe degeneres, experientia tamen conſtare, ſi domeſtica exempla peccandi nulla habeant, viciniæ vitijs contaminari. Plurimos eſſe parentes, qui magna cura ad vanitatem filios erudiant, frui delicijs, gloriæ ſtudere, fallere, iniuria laceſſere velint, pietatem, preces, modeſtiam, vt vilia aſpernari: ad inhoneſta præire. Igitur decretum: vt qui ſacris deſtinarentur, probæ indolis, integro corpore, ingenio bono eſſent, domi bene inſtituti, procul illicitis habiti. In clerum adſciti biennio parentum ſumptu probarentur. Reliquos deinde annos in virtute & ſtudio diuinæ legis, patrijque iuris inſtruerentur-

rentur, tum demum vel ſacris, vel Reip. admouerentur, vtrique functioni idonei. Ita neque impuberes, aut improuidi iugo, cuius adultos pœniteret, imperio maiorũ ſubdebantur, neque vlla neceſsitas aris aſtringebat inuitos. quibus ex cauſis, nunc eſt in clero labes.

LVIII. *Improbi ſacerdotes eiecti.* Quæ præſulum, eadem minorum Eccleſiæ miniſtrorum vitia, & in multis tætriora cœtum fœdabant, facilitate latendi. Patriarcha cenſebat, omnes illos gradu, atque honore deijciendos. Plus obeſſe Reip. neminem, quam improbum ſacerdotem. Per eos non exſtirpari vitia, ſed inſeri. Salem putrefactum tabem augere, non ſeruare corpora. Ne propitiando quidem numini miniſtros improbos eſſe vtiles. Veteres vetuiſſe, ne flagitioſi ſacerdotis ſacrificio quis intereſſet, nefarios homines animo impurato, manuque tractando ſacra polluere, ſeque nouo piaculo aſtringere. Nec multitudinem quærendam, malle decem eruditos, gnauos, integros, quam centum indoctos, occiſos, impuros. Merito quemque loco deijci, quem indignus aſcendit. Non alio modo poſſe ſacro ordini famam, auctoritatemue redire. Paleas euentilandas, quo purum ſit triticum. virulenta germinum ſalubribus non miſcenda. Vulgi eam eſſe procaciam, vt paucorum errata totis cœtibus imputent. quorundam inſolentia offenſos, de omnium probitate dubitare. Non oportere Concilium in pœna malorum eſſe lentum, & ordinis totius probra tolerare, hanc indulgentiam in optimos eſſe iniurioſam, quorum iſti ſtipendia auertant. Nec infamari ſacrum ordinem remedijs, ſed purgari. Mitius alij cenſebant. Criminum quidem manifeſtos, gradu mouendos, quorum autem correctio ſperari poſsit, monendos, tolerandosque, dum in illis aut ſanitas, aut immedicabile malum cõſpiceretur. Hominem eſſe animal fragile, ad illicita procliue, ad honeſta tardum. Neminem in hac labe mortalitatis ætatem degere, cui non multa debeant ignoſci. Igitur ſententiam temperauére, vt neque flagitia fouerent, ne facilis venia eſſet delinquentiæ incitamen-

mentum. Nec tamen inexorabiles reſipiſcentibus viam ſalutis præcluderent. Priſcas leges reuocare placuit, quę etſi ad præſentem vſum, eneruemq; diſciplinam comparatæ nimium horridæ, atque violentæ cenſerentur, ſunt tamen conſenſu receptæ. Scortatores, adulteri, fœneratores, raptores, rerum ſacrarum venditores emptoresque, aut ſimilia auſi ad perpetuam pœnitentiam ſunt relegati. Aleatores, ebrioſi, mendaces, leues, negligentes ad tempus templo prohibiti. Multi per experimenta emendationis fidem fecére. alij in deteriora lapſi iudicum ſententia plexi ſunt. Plurimos militia vario exitu abſumpſit. Mox certatim ſacræ militiæ nomina dederunt, etiam ſpectata virtute viri, ſeneſque. Claruitq; falſum eſſe, quod iactabant, depulſu impiorum Eccleſias deſolatum iri: ideoque tolerandos malos, quod deeſſent boni. Quod nunc etiam fieri aiunt. Non vident illi, quam ingens numerus piorum, doctorumq; hominũ Eccleſia arceatur, quia ab impijs fucisq; iam locus occupatus eſt. Amoueantur indigni, ſuccedent digni.

Quo tempore veteres leges Concilium in vſum reuocabat, ſenatus ciuilis Reipub. negocia tractabat. Illetum tripertitus erat, Prima pars, pleraque Synodi decreta, etiam ciuilibus legibus, pœniſque ſanciebant. Non ignari bonum eſſe ciuem, cui religio, animique puritas ſit cordi, deſertorem numinis nec regi fidum eſſe. Altera grauiores cauſas audiebat. Tertia leges ipſas, quæ in grandia volumina excreuerant, ſub incudem reuocabat. Earum multæ obſcuræ, ambiguæque habebantur. Illis clarus, certus, indubitatus, ſenſus additus. Quæ contrariæ videbantur, earum altera firmata, altera abolita. Veteres, quarum nullus vſus, omnino deletæ, vetitumque ne eas quiſquam produceret. Etſi enim ex illis ius non pronunciaret prætor, cauſidici tamen ad oſtentationem ingenij, ad inuoluendas lites, prolongandaſque, ingenti partium ſumptu, inani garrulitate allegabant, ita vt acta frequenter carius, quã lis, æſtimarentur. Multæ veterum reſcripta regum in LIX. *Leges correctæ.*

breuiſsimum compêdium collata ſunt, multarum adiectione, aut detractione voculæ illuſtrata ſententia eſt, ex alijs inutilis verborum ſylua reciſa eſt. Hinc ius Aethiopicum certum, perſpicuum, breue, naturæ æquitatique conueniens, litium radices exciſæ. Regnum nulla re magis, quam legum multitudine conflictabatur, quæ in dies ad damna priuatorum, deinde exitium Reipub. creſcebant. Addita etiam commentariorum immenſa farrago, quæ cum per homines verſutos, loquacesq; ad praua detorquerentur, longæuis controuerſijs litigantes poſt fortunæ naufragia immoriebantur, cauſidici opibus, numeroque augebantur. Modus porro noui iuris conſtituendi erat, vt de certa legum materiâ viri triginta lectiſsimi, atque exercitatiſsimi deliberarent, & quod ſecundum naturam, patriæque vſum videretur æquiſsimum, ſancirent. Deinde Theologis committerent, qui ſi probarent, ſupremo conſilio ac regi tradebant, à quibus poſt tertium examen roboratur, atque in æs incidebatur, non tamen publicabantur. Nec enim viſum ſatis cautum Reipub. per tantam diligentiam, poſtquam enim in codices relatæ ſunt, prœmijs promiſsiſque inuitati ſunt omnes, vt contra leges dicerent, & ſane multa ſcienter, vtiliterq; animaduerſa ſunt, neque dedignati ſunt corrigere, & meliores reddere quocunque tandem admonente. Recte omnino, Leges enim ferre vt opus maximum, ita difficillimum eſt. Nec hominum quiſquam tam accurato conſilio leges dedit, vt non multa tempus atque vſus dempſerint, multa adiecerint. vt vero recta monentibus, data munera, ita qui ad friuola, aut calumnioſa deflexerant, notati ignominia, vetitique in poſterum vocem iniquitati venalem proſtituere.

LX. *Cauſidici pœna.* Magnæ ſed malæ famæ erat, atque in iudicijs regnabat Micipſus genere Pœnus, & moribus, arrogans atque iniuſta eius profeſsio. Poſſe ſe cauſam malam reddere bonam, è contrario bonam deprimere. Atque vt loqui ſolebat, ius iure, leges euertere legibus. Facta homi-

minis nefarij mentione, ex Canorino rex quęrit; Poſsintne Micipſi artes nouis in legibus habere locum: poſſe, reſpondit, negante rege, pignore poſito certatur. Canorinus vocatum ad ſe clam rabulam edocet. Melindæ ſe nuper ædes & prædium emiſſe, duo talenta ſoluiſſe, alterum tantum debere, malle non pendere, hortatur vt Melindam profectus, ſi quid eius in arte ſit opus, totum expromat, dona pollicetur. Ille impiger cauſam ſuſcipit, vincitque, reuerſus magnificè ſe Canorino iactauit, quin & metum tantum iniecerat, vt appellare ad regium tribunal creditor non auderet: rex omnibus ex Canorino perceptis, hominem audire voluit: monet ur occulte creditor, vt Magadazam appellet, die dicta concurritur, magnis clamoribus agitur, Micipſus omnia inuoluere, leges legibus addere, Deum, cœlites, denique cœlum, terram, regem ipſum inuocare. Adeo vt rex etſi falſa illum dicere ſciret, ab ipſo tamen vera putari crederet. At poſtquam cognouit ex propria rei confeſsione, non errore, ſed impoſtura peccatum: conſpicuo ſupplicio audaciam opprimendam ratus, anno integro, diebus quibus lege agebatur, in forū adduci hominem, in catasta conſtitui, flagellari, & clamare iuſsit. Ius iure, & leges legibus euerti: deinde in piſtrinum reduci, in quo etiam conſenuit.

Conſtitutis ex lege æterna, quę iuſtitiæ, & iuris fons eſt, humanis legibus, maior erat in illis tuendis labor ac difficultas. Nam & iudices potentium fauore, ſpe, metu in tranſuerſum trahebantur, & cauſidici ſciētiam iuris non ad æquitatem in ſocietate hominum tuendā, aut iuſtitiæ cultum, ſed ad opes cumulandas didicerant, igitur vt labores ſuos carè, multisq; venderent, patrocinia ſuſcipiebant, nullo cauſarum diſcrimine. Hinc cupidis precia potiora quam æquitas, & cum diu diſputatum eſſet, ius cedebat auro. Nec animo tamen rex frangebatur, vitijs potentium fortiora remedia opponebat, clemens in alios, iudicum & præfectorum delictis erat inexorabilis. Tum quod à ſe euecti tam grauia peccarent, XI. *Iniqui iudicis pœna.*

G tum

tum quod regis infamiâ, regni periculo leges peruerterent. Quare frequens ipſe ius dixit, libellos ſupplices accurate legit, adeuntibus comis, & affabilis, trepidãtibus verba, animumq; ſuggerebat. In maximis eius virtutibus numerabant omnes, quod nullius orationẽ audiendi tædio abrumperet, neq; initio per miniſtros moneri curaret, vt breuiter omnia proponerent, ſed placide attenderet, donec ſua cuiq; ſatias, aut verecundia finẽ loquendi adferret. Magno ſanè iudicio. nam qui ſe faſtidioſè audiri intelligit, ſperni ſe, & cauſa cecidiſſe arbitratur, iramque omnem cladis in iudicem conferre ſolet. Promiſcue in itinere in venationibus ſermones miſcebat. Memor parenti ſuo humanitatem, & in credendo cautionem defuiſſe. Paucis enim à quibus vendebatur, credebat, vera d ćturos non audiebat. Ingentem terrorem cunctis iniecit Darauij iudicis, & principis ſupplicium. Magno illi viro ex bonis artibus collecta auctoritas, quoq; ſemper pluris quam par eſt æſtimata, exitium adfert, flagrantiſsima regis gratia. Eius cōdiſcipulus, commilito, acer ingenio, florente ætate incorruptus, dignus plane magiſtratu, ſi priuatus vixiſſet. Nobilis erat genere, rex decus principis & titulum adiecit. Etiam opes daturus, ſi exſpectare, quam præripere maluiſſet. Hinc miſer beneficio regis in altum prouectus, ruinam ſibi ſtruxit. Opulentiam tanto nomini parem quęrenti, properantique nullum nefas obſtabat. Lex erat, vt qui ad duellum prouocaſſet, gladio, qui prouocanti appropinquaſſet, exilio multaretur. Si vero depugnatum eſſet, prouocator crucifragio, velut latro, trucidaretur, prouocatus, liberum mortis arbitrium haberet. Dura illa noſtris moribus videri poſſet Verum crudelis exiſtimari non debet, quæ vitæ conſulit, quæ, cum in medio ſint iura legesq;, vltionẽ beluino ritu exequi vetat. Orto inter nobiles iuuenes, dū ſtemmata ſua iactāt, iurgio, Luctus Vaſtono (hæc cognomenta erant) iratus edixit: Litem enſe cernendam, ni lex vetaret. Cui Vaſtonus eâdem fiduciâ: Vitam igitur legi debes. Cui & ego gratias habeo,

habeo; quod tam ignauo ſanguine nobilem dextrâ polluere non ſit neceſſe. Ne plura dicerent, atq; aſperiora, familiares diſtraxere. Deinde mitigatis animis, redintegrata eſt amicitia, vt ſunt adoleſcentum placabiles iræ, primo impetu validæ, in mutua exitianô duraturę. Paulo poſt Euctum in Aegyptum Medinâ proficiſcentem Vaſtonus iter bidui proſecutus eſt, domûq; ſolus reuerſus apud conſcios irarû ſuſpicionem ſubijt, quaſi ſociû pugnando confeciſſet, qui periculo anxius, alterû è ſeruis mittit, qui periculû indicet, rogetq; vt maturrime amici calamitatem ſubleuaturus redeat: mox etiâ alterum ablegat. Darauius, licet reus reditum ſodalis promitteret, & abſentis agnati de itinere teſtarêtur, iudiciû celerabat, opum magnitudô animû obſtruxerat, dânatum Vaſtonû duci iuſſerat, iamq; cædem lictor parabat, cû nunciatur ex itinere Euctum adeſſe. Vinculis exuitur Vaſtonus, ſalutant, gratulantur, plaudente vrbe, quæ ad triſte ſpectaculum effuſa nobilem reum miſerabatur, cui incertum crimen, certę diuitię perniciem adferrent. Non magis erepta præda, quam gaudio ciuitatis Iudex indoluit, vtq; furibundus tribunal aſcendit, centurionê capite damnauit, quod ſuo iniuſſu reum ſeruaſſet, ergo de maieſtate damnatû, publicatis bonis trucidari iuſsit, ſed cum educitur, cuſtodum manibus elapſus ad regem profugit. Vaſtonû iterum morti addicit, quod iuſtâ ſuſpicionis ac damnationis cauſam dediſſet, cauſatus ſententiam latam non poſſe retractari, & tam vaſti maieſtatem imperij vita vnius hominis eſſe potiorem. Fata quorundam eſſe, vt in publica commoda impendantur. Ab origine mundi ſtatutum, vt in hanc mortis côtumeliâ Vaſtonus naſceretur. Euctû porro necem meruiſſe, qui peregrinatione eludere iudicium tentaſſet. Vaſtonus quidem animo ſedato, iam dudum aduerſum imminentia firmatus, extremû ſpectauit ictum. Euctus improuiſam mortê lamento miſerabili, deindiris in iudicê execrationibus nobilê reddidit, eo magis, quod euentus non irritas morientis preces & vota mox probauit. Triſtiſsi-

ſtiſsimus iuuenum caſus tenue exordiū habuit, de nobilitate iactantiam:conſiderabant tamen prudentes,nimiæ ſuperbiæ,qua cœteris contemptis, regibus æquare genus conſueuerant, pœnas luiſſe. Nec Darauius ſupplicia euaſit, vocatus enim Magadazam, fauore regis quam cauſa fidentior, nec vltra reprehenſionem quicquam veritus, paruit: vt verò vltima adeſſe cognouit, omnes clientes, amicoſque deprecatores adhibuit,quibus deliberaturum ſe reſpondit Abiſsinus, eaque nocte Medinam reuehi Darauium imperauit, in loco vbi innocentes occiderat,torqueri,atq; occiſum ſub tribunali tumulari,& culpę pœnæque modum marmori vncialibus literis inſculpi.caput Magadazam relatum diu ante prætorium pependit,vario hominum ſermone,quod omnium principum delicta punienda citra mortē exiſtimarent,verum rex firmamētum Reip.in iuſtitia adminiſtranda verſari arbitratus,iniquitatem iudicum inter maieſtatis crimina habebat, quare nulla dignitas ſuffragabatur.

LXII. *Ratio iudiciorum.* Ex his de cœteris coniectans,veritusq; ne in remotis prouincijs iudicum integritatem ſecuritas labefactaret, decem in partes monarchiam diuiſit, decemque cenſores ſumma cum poteſtate, additis cuilibet conſiliarijs, præfecit:appellationes enim è longinquo egenis prægraues erant.Regnum illi obibant,rerum iudicatarū rationem exigebant,ſi quis oppreſſum ſe diceret,ſi quis in integrum reſtitui cuperet.Deinde in præſides, miniſtroſque inquirebant. ſi quid auare,libidinoſe,ſæuiter actum diceretur.Iudex ſi in ſententia dicenda probabilem erroris cauſam ſecutus eſſet,ſine eius contumelia retractabatur.Si excuſatione careret,loco motus ad regem mittebatur,aut pro merito puniebatur, ſi proterue quiſpiam appellaſſet, in duplum multabatur. Hinc iudex nunquā timore vacuus,ſumma cura verum anquirebat, paruitq; ad iuſtum ęquumq; nihil eſſe vtilius,quam iudices iudicari.Aduocatis idem frenum iniectum,de calumnia conuictis exciſa lingua.Ea moderatione afflictis

ſub-

ſubuentum iuris præſidio, & prouocandi libido coercita. Nec facile cauſæ iniquæ patronus inuentus: quod ad iuſtitiam tuendā legibus cunctis eſt validius. Nunc ſane inter tæterrimas Europæ labes eſt aduocatorum perfidia, quorum tam exertè periuria dominantur, vt inter tot millia iniuſtiſsimarum cauſarum, nulla deſideret iuratū defenſorem. Quin vltro ſe ingerit rixoſa, pugnaxque ſcientia, & cum victoriam non audet promittere, comperendinationes ſpondet, & iuris irriſum.

Magna cenſorum ſeueritas, exempla quædam libuit ſubijcere, forſan & noſtris profutura. Dauanus contra legem pronunciauit. Eliſſa ſoror Hamilcaris & Maharbalis orba mortem obijt, & ante eam Hamilcar relictis liberis, hos parte hæreditatis arcuit, cum tamen lex decima de hæreditatibus, filios in locum parentum ſubſtituat. Filijs Hamilcaris reſtituta hæreditas. Dauanus ad regem miſſus, ci ſubſtitutus Elaſſar, aduocatus ignominiā notatus, nemo illi ſubrogatus eſt, quod ſat multi in vrbe eſſent. Sinnaces dubium ius cauſatus, contrarias de re eadem ſententias dixit. Ius dubium perſcriptum eſt, vt rex decernat. Sinnaces damnato ſatisfacere iuſſus nā quod in amico iuſtum eſſe ſtatuit, etiam in extero valere debuit. LXIII. *Modus correctionis.*

Habdus ab vxore exoratus pro ſeruitute contra libertatem vindicias dedit, contra legem, atque alia præiudicia. Quare iudex & aduocatus in ſeruitutem dati, bona eorum fiſco illata, alimenta liberis permiſſa.

Sienius preſes inferioribus Aethiopię, à Nubijs & Lybicis lectus arbiter, agrum & ſaltum, cuius ambitus vicena millia paſſuum continet, ex ęquo & bono Nubijs addixit. Verum tantundem agri cultiſsimi nec iure, nec petentibus Nubijs, ereptum Lybicis, addidit. cauſa prauiarbitrij pacta cum filia cuiuſdam Nubij connubia, & in dotem deſtinatus ager. Reſtitutus ager Lybicis, deditusque præſes, ſucceſſor à rege exſpectatur.

Harumus aduocatus duos fratres ad controuerſias componendas amice paratos, vtriq; ſeorſum lites ſuaſit,

& ſpe victoriæ impleuit. pulſus in exilium litium & odiorum incentor.

LXIV. In numeroſa legum varietate difficile eſt tamen omne genus controuerſiarum, & caſuum complecti. Hinc tot nouæ leges, aut nouæ veterũ interpretationes. Hinc Abiſsini leges incuſabantur, quod nimium paucæ, breueſq;, multã iudici, & ſi is improbus eſſet, pernicioſam licentiã tribuerent. Vbi enim lex deeſt, iudicis æquitas ſuccurrit. nec ſatisfaciũt reſponſa prudentũ, ſępe varia, ſæpe errantia. Neque optime conſtituta eſt Reſpublica, cuius ex incerto iudicũ arbitrio, affectuq; fortunæ pendent. Reſponſum eſt tamen ex regio cõſilio. In illa legũ paucitate nihil omiſsũ, quod in vaſta ſylua iuris antiqui per ambages legebatur, omnia etiam clariora. Quin vbi plurimę sũt leges, multa iudicũ arbitrio, omnia pene aduocatorũ argutijs relinqui. Ex multarũ enim legum cõflictu opinandi libertatẽ naſci & foueri. Additus tamen exiguus libellus, & pleraq; de minimis, vt luſu, alijſque, ex quibus lites aliquando magnæ. Sancitumq; tam his, quã cœteris etiam nobilitatẽ teneri. Illi enim obſtiterant, nõ quo improbarent, aut obſeruatu difficiles quererentur, illibatam libertatẽ prætexebant, exleges eſſe ſe dictabant, inſitã humano generi ſuperbia, qua in vetitum peruicax nititur, atq; arbitriũ ſui etiam honeſto anteponit. Hos edicto rex grauiter increpuit. Nulli hominũ generi æque ſanctas leges eſſe oportere, quã nobilitati. Sola lege, & regum beneficio diſcrimen ordinũ eſſe. Naturam omnes voluiſſe naſci pares, pares mori. Solam virtutis prærogatiuam nobilitatem peperiſſe, nunc ſola lege ſeruari, his dictis grauiora facta adiecit. Centum enim prudentia, virtute, opibus eminentiſsimos vna die in numerum nobilium retulit. Deinde iuuenes nobiliſsimos in ærarios redegit, quorũ alter amiſſa per vetitam aleam pecunia, etiam gladium per dedecus perdidit. Alter per eadem probra victor retinuit, precibus tamen lacrymiſque rogantium inductus tandem indulſit, vt ſi quinquennio ſtrenuam militiæ operam nauaſ-

ſent,

ſent, natalibus reſtituerentur. Primus abolendæ ignominię properus, dum in hoſtem cupidius fertur, tribus occiſis, & ciue ſeruato ſaucius ad ducem rediįt, nec aliud moriturus, quã vt nobiliũ ritu funus duceretur, orauit, quod conſecutus eſt, rex inſuper monumentum ex ęre, equeſtrẽ ſtatuã collocari iuſsit. Alter rebus pręclare geſtis ad ſummam dignitatem peruenit, ſæpe dictitans, moleſtas quidem eſſe leges, ſed oppido ſalubres.

His iuuenibus Theatru fuit, Medinę, nobilis in Arabia ciuitatis obſidio. orta illic ſeditio in apertum bellũ eruperat. Magnam turbæ curã regi iniecerant, metuenti ne regni extrema dehoneſtarentur: ne Perſam internæ diſcordiæ attraherent, vicinum occaſionibus inſidiantem, atq; ex aliena dementia cupidè ſua incrementa quæſiturũ: qui enim in conſpectu potentioris depugnant, illũ ad prędã inuitant. Illũ vtriq; grauem hoſtem, etiã illis quibus auxilio veniret, merito formidabat, & multo magis, ne in vicina contagio ſerperet. Perſã connubij fœdere ſociare ſibi, Medinã vi aggredi ſtatuit, vt eodem tẽpore externa pericula affinitate vitaret, & domeſticum malũ armis opprimeret. Medina felicis Arabiæ inclytũ emporiũ, tum mari Erythræo aſsitum, portu, commercijs, ædibus, frequentia, opibus inſigne, egẽtis ærarij fulcrum, ideo molli imperio habitum. Hinc in luxũ & crimina verſa libertas opulẽta. Diuitię mores preſſerãt, miniſtræ malarũ cupidinũ, quos copia accẽdebat, infirma legũ auxilia, moribus etiã illæ ceſſerant, quodq; deploratę eſt Reipublicę indiciũ, inolitę praui atq; iniqui cõſuetudines pro legibus vſurpabãtur, monita ſapientu ludibrio erãt. Vnus ad inhoneſta prętextus: ſolitũ fieri. Igitur publica auctoritate, quod proximũ eſt exitio, peccabatur. Præſidibus nulla iuſtitiæ cura, ius mercede diſpenſabãt. Senatus ex negociatoribus cõſcriptus ſibi diſcors, pauca in cõmune, pleraq; pro ſuis cõmodis cẽſebat. Nec vlla in Epiſcopo, aut ſacerdotibus ſpes, plures cõtagio infecerat, qui veteri religione ætatem agebãt, latere cogebantur. Virtus in regno vitiorum contempta, & in

LXV. *Medinæ rebellio.*

tuta mœrebat. Si à publicis malis quiſpiam diſſideret, cóuitium facere putabatur, Præſul Euphradmon homo Græcæ originis exulare à ſynodo iuſſus, ſententiam latebris eluſerat, ſucceſſor de ſeueritate ſuſpectus pro hoſte habebatur. Præſes opibus incubabat, cæterorum incurius. ante magiſtratum integer ac ſanctus, ciuitas ſuis eum moribus imbuerat, aut ſane poteſtas reconditas animo libidines in publicum protraxit, nec occaſio fecit, ſed oſtendit nocentem. Nec alij militum mores.

LXVI. *Modus rebellionis.* Tumultum viſitatorũ aduentus maturauit prima rebellionis conſilia Agaſſor præſes cum Datamæo militũ præfecto agitauit, fidem vtriusq; conſcientia metusq; conciliauit. Extrema pauebant ambo. Caput rei, & incitamentũ erat audendi. Nihil grauius poſt rebellioné timendũ, quam quod ignauis impendeat. Innocentes, aut leuius nocentes veniã ſperare poſſe (quamuis Abiſſinus etiã in paruas præſidum culpas ſeuerus ſit) ſe non niſi ad triſtiſſima exempla ſeruatos. Nec moderationem poſſe exſpectari, cum in poteſtate cenſorum non ſit ſæuitiam temperare. Placuit Euphradmoné exauctoratũ, contumeliã ferocem, ſæuis promptum in conſpirationis conſcientiã aſſumere. nec abnuit, dignitatis reciperandę auidus. Operas deinde partiti Agaſſor ſenatum, Datamæus militem, populũ Euphradmon aggreditur. In milite facilis inclinatio, venale, vt plurimũ, genus, mercede fidé, lucro honeſtũ æſtimat. Medinenſe auté præſidiũ vltra militarẽ licentiã corruptum erat, Multos annos vrbanã militiã cauponabãtur, nitidi & quæſtuoſi, præcipua céturionũ errata. Hos cóuiuio exceptos perterrefecit; Venire iudicem, & nomine cenſorũ tortores, quotũ quemque conſcientia ſecurum eſſe? Regi decretum eſſe noxios plectere, cœteros ad naualem militiam transferre, vbi illuuie, ſentina, fluctu, piraticis prœlijs abſumantur, Literas amicorum hunc in vſum fictas oſtendebat, Traductis in cauſam centurionibus nulla in milite mora, freno opus erat, non calcaribus. Prædæ ſpes ex turbis, & timor tam ærumnoſæ militiæ effe-

cit,

cit, vt Datamæo ſacramentum volentes dicerent, dubios aut recuſantes trucidarent, opes eorum diuiderent, ſic gemino ſcelere polluti ad futura promptiores reddebantur. Eadem arte ſenatum aggreſſus eſt Agaſſor, tabulas quibus ſenatorum nomina, & crimina inſcripta erant, quibus & ſe & vxorem, filioſque iunxerat, ea omnia ad regem delata eſſe fingebat, creditum eſt ad regem iſta perueniſſe, quod verè facta agnoſcebant. Mala conſcientia etſi aliquando lateat, fidem latendi non habet. inſeruerat etiam innoxios, vt calumniæ metu perculſos in partes traheret. Diu in ſenatu diſceptatum in eo hærebant, quod tantæ monarchiæ vna ciuitas longo interuallo impar, rex bellator eſſet. Ad iſta Agaſſor occurrebat, Totam Arabiam in partes venturam, Perſas auxilia miſſuros, ab Aegypto etiam bellum moueri, inter iſta poſſe Medinam emergere. Plebes nihilominus timebatur; illa enim cenſores exſpectabat, quos in ſenatum, & milites ſeueritatem diſtricturos ſperabat, in tumultu ſenatum occiſuri putabantur, aſperè, auareque cuncta miniſtrantem. Igitur cum Datamæo paciſcuntur, geminaret legiones, vt præſidio eſſe poſſet ſenatui, ſi quis impetus fieret, ipſi familias, clienteſque armant. Ephradmon populum in regem concitabat, Si quid iudex, dux, aduocatus, miles apparitor peccaſſet, regi, & nouis legibus imputabat, ſoli Deo in animos ius eſſe, leges regias nimium ſeueras, libertatis eſſe laqueos, fortunarum retia, conuiuiorum hilaritates in crimine cenſeri, verba iratorum inconſulta plecti, fenebrem pecuniam reſtituendam, cenſores omnia rimaturos, etiam cubiculorum arcana. Talibus plebes corruptiſſima mouebatur, ægrè ferebat, ebrietatem, blaſphemias, fenus, pellicatum & ſcortationem lege puniri. Dictam ergò ad diem ſenatus cum clientibus, & primis negociatorum, Datamæus cum legionibus in forum deſcendit, vocati ciues in iuſiurandum libertatis adiguntur; ita rebellionem indigetabant. Iam olim vſitatum fuit, vt qui dominationem quærerent, li-

G ber-

bertatem prętexerent.conatos obſiſtere ſpoliant,atque in opera pub:ica damnant,concilium militare è ſenatoribus & centurionibus legunt : quodque firmamentum reipub.arbitrabantur,tenuiores ciuium,quorum maxima multitudo in legiones diſtribuunt, ſtipendia de publico promittunt.Callido planè conſilio:in ſeditionibus enim maior eſt infimorum potentia, maiuſque illi creant periculum, qui cum metu & violentia contineri nó valent,arte,beneuolentia,ſocietate prædarum deuinciuntur : in vicina enim & longinqua globos emittebant, & rapto viuere docebant.

LXVII. *Legati ad regem miſſi.* Legatos deinde ad regem,& cenſores decernunt:nó recuſare ciues,aut milites imperium,ſed noua onera deprecari,rogare, ne nouis legibus vetera conuellerentur. orare cenſores aduentum vt maturarent, fortè eorum auctoritate motum iri ſedatum. Ea nimirum cura fuit, vt quæ aſperrimè acta fuerunt, mollius acciperentur, rex tardius bellum ſpe pacis eluſus pararet, cenſores in omnem euentum captiui detinerentur. At Abiſsinus gnarus ſibi verba dari, clementi reſponſo delinitos dimiſit,veritus ne Perſas vocarent,locum etiam relinqui pœnitentiæ & mutuæ diſcordiæ conſultum eſſe ducebat. Seditiones enim, procellæ & turbinum inſtar maximis motibus inchoantur, deinde mutuo colliſu vires ſibi frangunt,donec elangueſcant,atq; in ſpumá lutumque deſinant. Plerique enim ſimul ad ſumma tendétes ſpe excidunt,cumq; experiuntur pro aliena ſe potentia dimicaſſe,curam remittunt,eoſque quos penes ſuorum ſcelerum precia reſidere cernunt,oderũt: quando apud ipſos ſterilis culpa cum infamia perſeuerat. Sed nec illi regem, nec illos rex fefellit. Conſilia callida apud pariũ artium gnaros ſucceſſu carent. Quanrò lentiùs,tantò acrius bellum fore iudicabant, clementiæ ſimulatio pro atrocitate accipiebatur. Tantummodo ciuium & militum perfidiam timebant, ne qui legitima regis imperia exuere didiciſſent, dominis iniuſtis, haudquaquã parerent. Iamq; militum nonnulli contumacius agebant, tãquam ducibus per crimen æquati. Nec

Nec defuit tamen in tanta conſternatione virtus. Soorano maior periculo animus fuit, viro mentis inuictę: ille e morbo quo diu attentus fuerat, firmatior in curiam venit, tantaque contentione pro rege verba facit, qua ſi in tuto diceret. Impetus erat inimicis eum è veſtigio diſcerpere. metu tamen in præſens omisêre, ſub ipſum enim momentum nuncius adſerebatur, Perſicum matrimonium confectum eſſe, Arabas in fide manere, ita domum cum militari cuſtodia remisêre. Soranus haud ignarus ſibi moriendum eſſe, vim morbi ex contentione vocis auctam ſimulat, medicus ægritudinem letalē aſſerebat, ſenatus ad alia verſus, ſponte deficere virum clariſsimum, quā ſuo ſcelere in mortem pręcipitari maluit. Interim è familia fidos quoſdam agnatos, filios ipſę in triclinium, vbi cuſtodes ex more epulabantur, inducit: minatus mortem ſi vocem ederent, ipſe deinde curru, ipſo meridie, cum ſolis ardore vitato ſe domi continere ciues aſſolent, vrbem egreditur, ſtipabant illum initio pauci, alij opportuno loco exſpectare iuſsi, in campo ſeſe iunxére, equi, currus, equites, ſatellites præſidis inſignia ferebant, in agro legionem pabulatorum obuiam habuit, ipſe in curru vultū conſpiciendū nō dedit. Deinceps quoſdā obuios captiuos abduxit, qui omni diligētia connixi ſunt, ne Sorani cognatis, amiciſq; relictis iniuriæ inferretur, ne ſibi eadem luenda eſſent. Ille ad regem profectus in vrbe docet eſſe virorum, qui arma portent, ſexaginta millia, reliquæ turbæ, cui arma parētur centū millia. cibaria in annū eſſe repoſita, cómeatus vndique cōuehi, propugnacula extrui, vicina oppida occupari, Perſas, Indos, Romanos ſollicitari, ſpecie negociatorū per regnū miſſos, qui ſeditionē concitēt, ex Aegypto fruges curari. Sūmo igitur ſtudio bellū paratur. *LXVIII. Fuga Sorani.*

Itineri ſe rex poſt nuptias accingit, proximum illi Soranus imperium tenebat, non virtute militari cunctis antelatus, (quamuis manifeſtus fidei, & exercitæ in caſtris iuuentutis) notitia locorum, hominumq; pollebat, idoneus inter rebelles, diſcordias ſerere, & per a- *LXIX. Claſſem hoſtium Soranus intercipit.*

inicos

micos occulta hoſtium explorare. Laudabili ſanè prudentia rex in delectu virtutis hoc quoque ſpectauit, vt loco opportuna eſſet. Quin & illud cautiſsimè, vt eum deligeret ducem, cui accelerata victoria, non tractu in longum bella commodo eſſent. Error regum exitiabilis, cum caſtris præeſſe iubent eos, qui veluti quæſtuoſam negociationem exercendo, bella proteiant; continuò imperio & ambitioſæ potentiæ intenti, damna publica non æſtimant. Bello intereſſe regem, ſenatus indignum iudicabat. nec enim curas toti regno debitas vnius oppidi expugnatione atterendas, nec tam facilè regiam maieſtatem ſub pelles redigendam, & belli caſibus obijciendam, hæc atque alia differebant, vel adulando regnanti, vel ne ipſi ad caſtrorum incommoda ducerentur. At rex in ſententia eundi perſtitit, multa negligencer, auarè, perfidè per regis abſentiam geri. Summum magiſtratum ibi eſſe oportere, vbi ſumma ſit potentia. Tantum exercitum ſemianimem fore, ſi caput eius ab alio capite, & quidem locis diſsito penderet. Regem vnum pro multis eſſe legionibus. Soranum igitur cum viginti millibus præmittit, iuſſum, quod ex vſu videret agere. Ipſe coniunctis in vnum locum copijs lento itinere ſubſequitur. Soranus tranſito mari rubro, armatiſque Arabibus loca vicina præſidijs occupauit, frumentatione Aegyptiaca, excurſuque prohibere Medinenſes conatus. Ducentæ naues longæ in Aegypto tritico, lente, faba, porcina onerabantur, earum reditum morari Soranus non poterat, quadraginta duntaxat triremibus inſtructus, nec milite, nec remigio validis, longa pace in eà regni parte cura belli fluxerat: operis ad alia dilapſis. Præfectis ſatis fuerat ita claſſem curare, ne omninò neglecta videretur, non vt ad ſubita in procinctu ſtare poſſet. Pleriq; reip. ſeruiunt, vt quid minima moleſtia ſua, maximo lucro fieri valeat, quid factu optimum ſit, ſecum cogitent: Similes improbè medentibus, quibus ſanitas in ſecundis curis eſt, primum ſtudium, ne occidiſſe ægrotum conuinci poſsint. Induſtria ergò inue-

inuectionem commeatuum impedire molitur, literas Medinenſium ad mercatores interceperat, quibus maturare iubebantur, ne regia claſſe impedirentur, eas cõmutat, nunciumque precio perpulit, vt ſuas eò deferret, ſignum illæſum ſuis appreſſerat; monebat verò ne feſtinarent, pacem ſperari, regiam claſſem latere in inſidijs: poſtquam parata omnia habuit, tum eodem ſigno quod imitatus erat, mittit, vt accelerent, nauigationem tutam eſſe. Venientibus ſuam claſſem vrbis inſignibus fulgentem, quaſi amicum mittit obuiam, quæ omnia facilè in poteſtatem redegit, oſtenditq; imperatoriam virtutem, non minus exploratoribus mittendis, hoſtium conſilijs ſcrutandis, quàm pugnando elucere. Sanè corporum robore tenere victoriam minimè laudis eſt, quæque nec beluæ negatur, ingenio & arte ſuperare diuinioris mentis atque induſtriæ dos eſt. Illa die victam Medinam rex faſſus eſt: tanta quippè in vrbe conſternatio fuit, vt parum à tumultu ac cæde procerum plebs abfuerit: putabat enim eo facinore rebellionis ſe crimine poſſe abſolui. Verum alio didito rumore, minutiſq; rerum precijs quieuêre.

Datamæus amiſſo commeatu, vt ſuis redderet animos, quadraginta lectorum iuuenum millia, quos recẽs armarat, acceptis decem dierum cibarijs, Fotidem trium dierum itinere Medina diſsitam ducit, tanta velocitate, vt die ac nocte continuata profectione, altera luce vallo perterritos cinxerit, atque intra dies octo expugnârit, cæſi puberes, militi data præda, quam ciuitas mercimonijs frequens, agri prouentu vberrima, auaritiæ parem præbebat, inuitata ad manubias plebes, ianuas, poſtes, adeoque tigna auexit, veteri in vrbem æmulam iracundia, magnus ille in ſpeciem triumphus, maius tamen Arabum ex alienatione odioque damnum. At vulgus euentu lætum, proximos quoque ſucceſſus in futurum ſpe præſumebat, ſecundis vanum, crudele; aduerſis pauidum malignumque, nunquam fidum. Monebat Fotidenſium antiſtes, victoriam temperarent, ſæ- LXX.

uiti-

uitiam inhiberent, expectarent à fortiore, quicquid victis intuliſſent mali. Tum verterunt in ludibrium minæ, at anno vertente numen vltioni promptum pœnas rependit. Varia deinde caſtella ac oppida metu crudelitatis magis, quàm virtute occuparunt, Sorano in diuerſum diſtracto, atque impari militum numero, qui more ducum, omnia prouincialium damna negligebat, ſatis eſſe ratus, ſi exercitus incolumitati conſuleret.

LXXI. *Vrbum victa.* Dum iſta ancipiti Marte in Arabia geruntur, rex traiecto mari cum toto exercitu aduenit, propè vrbem caſtra locat, vallo ſoſſaque munit. prœlium detrectante hoſte, ne diutius vrbi aſsidere cogeretur, augere ciuium audaciam, demere ſolertiam inſtituit, quotidie mittebat, qui ad velitationes prolicerent, atque inſtante diſcrimine terga darent, plerumque calonum validiores, quibus nulla fugæ infamia. Hinc animis tumidi, poſcere prelium vrbani, cum negaretur, conuitio agere, quaſi non hoſtium violentia, ſed metu ſuorum intra mœnia continerentur. verùm Datamæus & duces ſatis gnari, nec ciuibus, nec tyronibus eſſe in acie perſeuerandi firmitatem, deeſſe etiam ad obſequia promptitudinẽ, leuibus prœlijs exercendos, hoſtes calore, & morbis fatigari, quam periculis vinci pulchrius ducebat. Poſtquã verò Euphradmon mille equitibus duo millia ſponte cedentia fugaſſe ſe putaſſet, regia valla adiſſet, nemine inſequente è paſtu iuméta abegiſſet, tanta cunctos fiducia inceſsit, vt à flagitando prœlio abſterreri non potuerint, coacti conſenſere duces, ſemper omẽ cladium. magna Euphradmonis in vulgus opinio, ſolus miles & imperator haberi: & ipſe verbis magnificus vanitatis implebat ignaros, temeritas felix pro ſapientia, precipitantia pro virtute habebatur. Indicto igitur prœlio prima luce centũ quinquaginta millia in aciem educunt, quicquid armis idoneum erat, centuriauerant, neq; deerant matronarum & virginum vexillationes vrbi cuſtodiẽdæ, Amazones quælibet terra gignit, illarum dux Zo-

ſtra:

ſtra: miſit celeres equites ducesq́; rex, aciem ſpeculaturos, interim ſuos caſtris quietos cõtinebat, ſimulato metu, cum vt audacia creſceret, tum quod equitatus pręcipuam partem pabulatum miſerat. cum vltra meridiem in acie ſtetiſſent fame, ſiti, calore feſsi, in vrbem rediêre, verebantur enim ne cum integris paſtiſque debiles pugnare cogerentur: vrbana multitudo incommodorũ belli intolerans, curam corporum poſcebat. Rex circa veſperam legatos mittit, pacem offert, vtrinq; ciues, vtrinq; ſubditos eſſe, nolle ſe fundi ſanguinem: ſciebant duces, ſenatuſq́; iſta ad vulgi impetus ciendos dici, ſed Euphradmon & populus magis inſoleſcere, minari, denique reſpondent: in eius caſtris ſe pacem quæſituros. tanta confidentia erat, vt & caſtra oppugnare cogitarint, & excubias aduertere iuſſerint, ne rex per tenebras fugeret. ne caſtra oppugnarent Agaſſor inhibuit, ſcalas deeſſe vallo ſcindendo cauſatus. iterum tamen in aciem egreſsi ſunt, dextrum cornu Datumęus, ſiniſtrum Agaſſor regebat, mediam aciem curabat Euphradmon, in ea ſenatus, nobilior iuuẽtus, diuiteſq́; ante tubam feroces, in periculo pauitantes, tantum armis auratis & ſpecioſa veſte decori, irritamentis auaritiæ. Rex omnibus iam antè diſpoſitis, ſubitò aciem inſtruit, velites mittit ex ploratum ordinem hoſtium, ex quibus intelligit, robora in cornibus, pręda in medio eſſe. Acie inſtructa teſſera dat ſignum, vt omnes ad curanda corpora diſcedãt, atq; ad tubæ ſonũ ſuũ quiſq; locum & vexillũ repetat, quæ cũ facta eſſent, nunc ſummum in caſtris ſilentium, nunc clamor, tubarum lituorumq́; concentus. Iſta Medinenſes, pro ſuo quiſq; ingenio, interpretabantur. Timere regem, militem ſpectare fugam, diruendum vallum, capienda caſtra, ne opes regiæ aueherentur. Suæ ſpei ſtolidi blandiebantur, mutuoq́ue colloquio aſſenſuq́ue, dubijs quaſi compertis fidem habebant, rumore, quem temerè fecerant, perniciosè delectati: cùm iam ſol ſe circumegiſſet, vt à tergo eſſet regijs, frõtes vrbanorum feriret, totis caſtris legiones emittit, hoſti-

hoſtium lunata erat acies procurrentibus vtrinque cornibus, mediâ reductâ, eadem forma regi placuit, ſed inuerſo poſitu, nam cauæ hoſtium parti quam in medio eſſe dixi, mediam ſuam protuberantem obuertit, cornuaque quam longiſsimè remouit, vt primum media acies concurreret, in qua rex erat, & præter militũ ſtrenuiſsimos in ſubſidio quatuor millia cataphractorum. Prudens eſſe conſilium euentus docuit, nam hoſtis quà infirmior eſt, peti debet: pulſa media acie, extrema fere metu cedunt. Raro acies inclinata, nec niſi à ſummis ducibus reſtituta legitur, plerunq; vt primo pugnantium fortuna eſt, ita in cęteros audacia, aut timor. Ne circumueniri poſſet iam ante prouiderat, qua mari ordines claudebantur, elephantos collocarat, vadoſo littore, alterum cornu carris obtexerat, in illis funditores, ſagittarij, baliſtarij, & late fuſus equitatus. Duces cornuum Soranus & Garamas, iuſsi abſtinere pugna, niſi vel inſignis ſe occaſio offerret, vel neceſsitas vrgeret. In medio rex ipſe prœlium acerrime ciebat, hortator, virtutis iuxta atq; ignauiæ teſtis, remunerator, vltor. Primo impetu à Sorani filio ſternitur Euphradmon, & impium bellum, cuius ipſe profeſsionis ſuæ oblitus, tuba fuit, ſanguine primus imbuit, nec abſque diſcrimine tamen fuit interfector. tres eum circumſiſtunt, feriuntque, at thoracis firmitate ictum reſpuente, dum in vltionẽ efferueſcit, regeritque plagas, ſauciatus equus, vulneris impatientia excutit ſeſſorem, prolapſum inuadit Toxaſpes quæſtor vrbis, quem ille caſu haudquaquam mente turbatus gladio tranſadigit, deinde concurſu ſuorum protectus, alteri equo impoſitus, quamuis fracto crure bonam operam præſtitit, nec ante victoriam prælio exceſsit, periculum, ira, feruor animi, corporiſque ſenſum doloris ſtupefecerat. Tum æquo Marte eſt pugnatum aliquandiu, cum morte Euphradmonis tamen ſegnius agerent vrbani, caſus iterum eos animauit, res minimæ ſæpe ſunt momenta victoriæ. Oculus equo regio ſagitta excuſſus beſtiam in furiam egit, igitur contẽpto freno

freno ſeſe auertit, fugitque: ſequuntur cuſtodię, proximique, rex clamore, conſcenſoque alium equum, collabans, ... ſuorum ... multum ... ſanguinem profudit, ſic conſtanti ... vulgatur rumor, ... regem vulneratum, ... aderant, qui mortuum aſſererent, oppidanos ..., regios pudor ... . Rex mox recepto equo in prima ... oſtentat, ordines obequitans ... manuque ... . Tum etiam procellam cataphractorum immittit, cui ceſsere oppidani. Dum in media acie Mars ..., ... dum ſiniſtrum cornu pugnam cœptauerat, dextrum atrociter ... . Datamæus cognito regis ..., accelerabat aciem, nec Soranus prœlium detrectabat, infeſtis armis ... concurrunt, fractiſq; ... tum fortiſsimus quiſque ... pugnam ineunt, cui res inopina ... , nouus in nemoroſo mõte conſpectus ex... . Cum ... futuro bello exercerentur, tenerior ..., vt ... eſt ad imitandum, quæ oculis vſurpat, ... imperatores legunt, ex cannis, a... arma fabricant, deinde militiæ ciere ... procurrere, retrocedere, laxare ordines, dé... ſonum tubæ agnoſcere. plerique ... vehementer de... ductores erant procerum filij. ... dataq; arma vera, ... ex talibus ... futuræ virtutis auguria le... . Hos armatos in nemore exiguo militū ... præſidio ... abdiderat, vt incepto pre... , quo; cautius ſalle... in primo ... quibuſq; procerior ... , ... cæſo galeis criſtiſq; grandibus, quo virorū ... præberent, ... frondibus terram verrere imperauit, vt denſo puluere ... opinionem facerent. Et ſane ingenti terrore regios percuſſit, ni rex huius ... ſimili arte ... hoſtes cogitaſſet, calones lixaſq; agreſtes, & quicquid ca-

ſtris aut vtile, aut graue eſt, eundem in finem ex altera montis parte iuſſerat armatos procedere. horum præcurſores in pueros incidunt, ſociosq; cohortati, velocius quàm milites irrumpũt, quippe præda ſine periculo, vbi facilè erat fortibus eſſe. Adoleſcentuli vbi ſanguinem & vulnera videre, pars in fugã verti, pars ſupplices manus tendere, captiui in caſtra deducuntur, calones è ſylua emergunt, Datamæus ſibi auxilia veniſſe clamat, Soranus è contrariò nouum Arabum exercitum eſſe aſſerit. poſtquam propiùs adfuere regia ſigna, errorem detexere, ſimulque ab equite de pueritia capta Datamæus monitus eſt: ille receptui cecinit, & ſeruatis ordinibus in vrbem ſeſe recepit, quod etiam Agaſſor fecit, nec inſequi facilè fuit, crebris foſſis & munitionibus diſtinctis. Intereà regij ad prædam rapiuntur, decora arma veſteſq; ciuium cupidinem illiciebãt, nec duces pares erãt arcendę cupiditati, id conſpicatus ex turri Agaſſor, duo millia in onuſtos, incópoſitoſq; ducit, magnamq; ſtragem dediſſet, niſi rex ipſe cum legione ſua, atq; equitatu, corporis cuſtodibus occurriſſet, pugnatũq; eſt pauli ingentem victoriam Marte ancipiti, donec centuriones veteraniq;, omiſsa prædandi cura, arma reſumerent, regi ſecundum femur vulnus inflictum eſt, Agaſſor cecidit, miles eius circumuentus, cum regi ſeſe dedere vellet, per iram à victoribus antè trucidati ſunt, quàm reſponſum ſalutis acciperent. ita prœlium confectum & ars eluſa eſt arte. Nunquam in bello euentus per omnia cõſilio reſpondet, niſi in paucis. Datamęi conſiliũ optimũ erat, ſed infelices exitus habuit, quia in regiũ, ſed prudẽtius, impegit. Vis aduerſum fortiora illata frangitur, aſtus exitio eſt, ſi maiore ſolertia excipitur. omnia caſtrorum bona parũ proſunt, ſi hoſtis habet meliora.

XXXII. *Cõtinuatur vrbis obſidio.* Haud alias mœſtior ciuitas, cùm ventum eſt ad curiam, magnitudo cladis apparuit, pleriſque ſenatorum ceſis, aut vulnere debilitatis. Plurimum in ſuperſtites querelarum ac conuitiorũ. Præcipua in Datamæum ira, quod feruente pugna ex acie equites ſubduxerat, ad ca-

pi-

ptiuos ciuium filios liberandos, quo victoriam perdidit, nec captis ſuccurrit. Et ſane grauis ille error, ſed inter eos habebat & ſuos liberos, quorum caritate deliquit, domeſtica mala publici diſcriminis fecerant incurioſum. Paruit igitur affectibus, melior pater, quàm imperator. Milites inquieti duces accuſabant, ignauiſsimus quiſque abolendo ſuo dedecori in alios culpam deriuabat. Nulla pars ciuitatis alteri concors erat, itumque eſſet in mutuas cædes, niſi Crangamor ſparſa fama ab hoſte mœnia tranſcendi à contentione inani turbidos reuocaſſet ad curam ſalutis: ita fortes ad propugnacula, ignaui ad latebras decurrere, & quies, ſpaciumque deliberandi datum eſt. Tum patuit ſeditioſiſsimum quemque eſſe timidiſsimum. Sauienus centurio, qui prœlium iactantiſsime flagitauerat, & victos duces ad ſupplicia depoſcebat, audito hoſtem ad muros eſſe, veſte ſeruili malè tectus in publicis foricis totam noctem latuit, alteraque die in publico luctu riſum mouit. Poſt cladem agnitio ſceleris, & pœnitudo ſubibant, miſſis legatis corporum ſepeliendorum facultatem, veniam, pacem orant. Permiſſa ſepultura, ne fluentia tabo cadauera auras veneſarent, negata pax, niſi regis arbitrio ſeſe ſubderent, qui ſola rebellandi libidine imperium exuiſſent. Simul rogarant, ne filij ſeruitutem ſeruire cogerentur. Reſponſum eſt, liberos vbiuis quàm apud parentes eſſe melius acturos. Nam in vrbe fœda dictu factuque ſpectaſſe, inſuper ante ætatem factos eſſe perduelles. Deſperata venia, Crangamorem ducem eligunt, ſenatum ſupplent, Datamæu diſcerpunt, & ſuis vitijs, & recepti clade omnibus abominatum. Centum adhuc bellatorum millia in vrbe erant, ſed nec animo, nec militari ſcientia pares illis, quos Mars ſibi pignorabat, maximè obſtabat, quod neque duces fortia imperare audebant, nec illi parebant, diſputare omnes, & carpere imperia, pauci facere. In ſeditione enim omne imperium precarium & breue. neq; tumultum vllius conſcire conſueuit, vt pareat, ſed vt imperet: quare legitimo imperio ſpreto,

tyrannis haud conſtanter obtemperant. Rex interea caſtra profert, vrbem arcte cingit, fame domiturus, inde ad opera quotidianę excurſiones prœliaq;, maiore ſemper vrbanorum iactura: quod ex tuto regij tela mitterent, & peditum in vrbem redeuntium tergo eques cataphractus hæreret. Perfectis munitionibus, exorta deſperatio, iterum deditionem offerunt, pacta vita ac libertate. Rex abſolutam, & ſine conditione victoriam vrgebat. Addidit Soranus: mortem tam improbis, quã vitam eſſe vtiliorem. Libertatem verò ſceleratis & egenis concedere, aliud non eſſe, quàm ſicarijs & latronibus cuncta infeſta reddere. Alioqui vbi etiam iuſta bella finiuntur, ibi incipere latrociniorum ſeminaria. ſancitum, ne de pace aliquis, niſi deditionem facturus, veniret.

LXXIII. *Legatio noua ad regem.* Regia ſeueritas ferociam obſeſſorum contudit. excurſu prohibebantur, regij e loco ſuperiore munimentis obtecti iaculabantur, pro telis acre venenum illeuerant, vt quamuis tenui vulnere perſtricti putrefactis ſedem in modum corporibus cruciati morerentur: ſicut illis peſtibus Africa, ad ſoles excoctum virus, quam alibi, pernicioſius eſt. Fęminas igitur, & quicquid innocentis ætatulæ reliquum erat, funebri habitu induunt, atq; ad regem legant, ibat agmen miſerabile, & propter regis tentorium humi proſtratum cauſam fletu & ſingultu peragebat. Abiſsinus dicere illam quæ dux erat, egredi iubet. Tum illa, Rex magne Deo proximus, Deum imitare, vides tot millia dextræ ſiniſtræque, diſcrimen ignorantium, tot innocentes, pro nocentibus illi ſupplices, eo magis miſerabiles, quod alieno crimine pereunt, & mala ſua ignorant. Tam atrocia ſunt parentum facinora, vt adire te, & veniam precari vetueris, ſupplicationes ipſas morte damnaris. At hi ſupplices ſine periculo ſunt, quia exortes criminis. At neque Deus nocentiſsimorũ quos verè pœnitet, vota repudiat, & nobis ad æternam maieſtatem aditus eſt, ſi à tua repellimur. Sat pœnarum dedimus, vel hoſtibus miſerandi: pars virorum peſsima

gla-

gladio periјt, ætas infirma capta, ſuperſunt ætate, morbis, metu in morte pene affecti, & fœminarum ac puerorum agmen imbelle. Vrbs indagine cingitur, nocuiſſe tibi nos dolemus, nocere iam nemo poteſt, gloriam clementiæ tuæ augere poſſumus, imo & commoda, vende potius, aut pro mancipiis vtere, quam mactes. Plura addebat, quibus clementiam ſuaderet. Finita oratione, cõiuncta miſerabilique voce Deum, deinde regem orabant. Pueri minuſculi, qui nec quid ageretur intelligebant, nec aliud didicerant, debili ſono identidem diuinæ precationis illam partem repetebant, qua petitur, vt Deus dimittat nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. nec proceres, nec ipſe rex lacrymas tenuit. Interim reſpondit: Iuuentutem à ſe captam ingenue educi. nullum innocentem ſua voluntate caſurū, velle tamen miſerari ſontes, ſed ſuo iudicio, nõ pactione impunitatis, nec ſe leges accepturum à tam facinoroſis. Quoſdam ea peccaſſe, quæ Deus ipſe plecti iubeat. Reuertantur in vrbem, & viris denuncient, miſerendi & puniendi arbitrium ſibi integrè committant, multis periuriorum, auctores & immania auſos, ſine pœna eſſe nõ oportere, intereſſe generis humani, ingentia delicta non manere impunita. Ipſos infantes talibus exemplis aduerſum praua firmandos, ne imitentur, quæ parentibus bene ceſsiſſe meminiſſent. At neque illos nunc ex animo, & factorum pœnitudine ad preces conuerti, ſed metu officij non diuturno magiſtro

Dum foris eſt grex imbellis, in vrbe ſenatuſconſulto decretū eſt, neminẽ, niſi pacem veniamq; reportent, recipiendū eſſe: quo tanto diutius cõmeatus duraret. Redeuntibus ante portam obuiam fuere ex proceribus nõnulli, qui audita regis ſententiâ, retulerunt ad cõſilium, deinde ad concionem. Fœminis & pueris veniam dari, viros ſupplicio addictos, illa igitur nocte ſub dio ſupplices egerūt. poſtridiè cibo refectos in vicina oppida rex dimiſit, ſuorum crudelitatem, regis clementiam teſtaturos. At paucos poſt dies monetur ab vrbium præfectis *LXXIV. Pœna beneficij, obſeſſorum obſtinatio*

genus mulierum Medinenſium eſſe laſciuum, procax, maledicum, multas venena miſcere doctas, præſtigias magicas callere, dœmonum cultrices eſſe. Illam ipſam quæ ſupplicum ductricem egerat, eſſe fœminam, cui omnia adeſſent, præter bonam mentem, vocari reginam ſagarũ. Artes ſuperſtitioſas apertius ab illis tractari, quã vt celare illas velle videantur. Inter horrenda ciuitatis etiam veneficia inualuerant, quæ inter corruptos ipſa multitudine tuta erant. iamq; procerum illuſtres familias ea peſtis inuaſerat, illi dum dedecus atq; infamiam domeſticã metuunt, ſcelera propagarunt. Dati quæſitores iudiceſq; qui conuictas ſupremo ſupplicio ſuſtulerũt, ſuſpectas in ergaſtula concluſerunt, cæteras criminũ immunes, ſed proteruia nobiles, ad aſſignatos prope Milum agros relegarunt, cuius cultura vitã tolerarent. Memorabant iſta oppidanis per militaria conuitia milites, iuxta enim excubiæ agitabantur, intellecta enim mulierũ clade in rabiem aguntur obſeſsi. Hanc eſſe aiũt regis clementiam, innocentem ſexum iure belli liberũ ad iugos, & extrema exempla vocatum. viris aliquid hominis malis atrocius exſpectandum. Magiæ crimen crudelitati prætexi. Iratis nunquam deeſſe anſam titulumque ſæuiendi. Quanquam enim veneficij, non rebellionis crimina in fœminis vindicata fingantur. Non defore tamẽ fraudũ artifices, qui paria viris intentent, vt capti non gladio cadant, quo naturæ interitum moriendi celeritate ſolentur, ſed ignium diro tormento animas amittant. Innocentiam parum fore tutam, vbi hoſtis ſit accuſator & iudex. Magiam pro grauiſsimo crimine haberi, difficilimè probari, proin cruciatus & viſcerũ lacerationes, & quicquid in natura triſte eſt, cunctis impẽdere. Plurimi virorũ etiã impijs artibus dediti erant, quare coniurãt, omnia extrema tẽtare, pacis ſolã mentionẽ morte puniendam. At fortia conſilia, ſpecioſaq; publico hortatu laudabantur, furore tamen non ratione regebantur, cum domum diſceſſerant, ſuos quiſq; exitus priuatim tacitus mœſtuſque voluebat, nec improbis conſtans erat

leti contemptus, viuendi illecebræ etiam eos tenebant, qui mori decreuerant. Nec deerant tamen qui præcipites in mortem ruerent. Tanristo duce millia sex castrum regium propius vrbem extructum furenter oppugnant, nec multorum strage deterriti cedebant. Sauciorum insignis rabies, vt enim vel leuissimam plagam ſenſerant, vitandæ longæ ſæuæque morti nudo pectore vallum ſcandebant, manibus reuellebant, & ſine reſpectu ſuæ ſalutis hoſtem feriebant. mortis cupido fecerat inuictos. Rex haud imperatorium ratus, furibundis ac mori deſtinatis ſuos obijcere, intra munimenta continebat, ſagittis, fundis, haſtis repellere contentus. Hinc ſummus in vrbe timor. Tot ſceleribus polluti animis angebantur, commeatus in diem artabatur, nec ſpes honeſtæ mortis. Igitur patefactis vltro portis in ſuburbano agro tendebant, regioſque laceſſebant, at nulla copia pugnæ profugiebant, quidlibet tolerabilius arbitrati, quam id quod ferebant Transfugarum vna oratio erat, vt extrema ſolatio mortis ritu Chriſtiano darentur, quæ cum annueret rex, paratis iam ad necem ignoſcebat. Proceres veriti ne omnes diffugerent, iterum vrbi incluſere. Iterum miſſa legatio, vt quoniam transfugis donata culpa ſit, cœteris ne clementia claudatur. Reſponſum in deditos regem pro arbitrio ſtatuiſſe, ſubiectis peperciſſe, ſuperbos debellaturum. Contumaciæ impunitatem non deberi, non conditionibus, ſed pœnitentia reos abſolui.

Multi nimiam regis ſeueritatem culpabant, attamen vltrices ſcelerum pœnæ, etiam poſtquam euaſere, ſecutæ ſunt. rex iuſtæ vindictæ perſeueranter intentus, prædam atque adeo vltionem amiſit. Nulla Medinenſibus ſupererat nauis, quare ad portum paucæ regiæ & negligenter excubabant. Id conſpicatus Trauancor nuper mari præfectus, nunc priuatus, ad conſilium refert ſalutis expediendæ viam ſibi apparere, modo cælari res queat. Mille cymbas conſtruendas LXXV. *Medinenſes fugam parant.*

endas eſſe, materiam eſſe ex ædium tignis tabuliſq; ... etiam pro ſalute manus, portum incuſtodi... eſſe. Laudant conſilium, ducem eum cum ... poteſtate conſtituunt. Ille claudi portas imperat, ... circumire, ſenatores, tribunos, centuriones iubet, ... quis cum hoſte verba commutet, trucidari. Deinde ... bro ... ædificandis nauibus eligit, operas inter ... partitur, ipſe manus admouet. Nec quiſquam erat, qui non ... s aptare, aliaque quæ ſine fiunt, præparare poſſet, quadraginta millia in opere erant, dena millia excubabant, ne ſonitus malleorum audiretur, tubis tympaniſque aures hoſtium obtundebat, mirum ... totam noctem illis inquietam eſſe. Longitudo ... trecentorum pedum, latitudo & altitudo viginti, carina plana, quo facilior eſſet per loca vadoſa tranſitus, appulſuſque. Die quarta claſsis in portu ſtetit, ea parte, qua ... m ... s includebat, mali, antennæ, vela, ex byſſo plerăque ... omnia ad amuſsim. Ingens omnium ... tio, quippe ex morte atque miſeris red... ces v... ntur. At verò ſucceſſ... m penè ſubità d... ſcordi... ruit ... reſumpta enim vitæ ſpe, etiam vitia reuiuiſcere cœperunt, præcipue ... cupido, quæ al... v... dentur. Proceres diuitiaſque ſuas res in ſolido ... tinere, hæreditates mortuorum adire æquum ... bant, magnam eſſe iacturam ... ſuam quæ ferri agique ... ſibi poſſidebant. ... re ... rebus contenti eſſent, ius naturæ eſſe, vt ... quiſque ... tineat. Periniquum fore, ... patriæ calamitate diteſcerent, opulenti ad ... redigerentur. Non meruiſſe ſe ... à ... rè apud exteros viuere ... erat contentio. Iamd... omnium in commune ... latas opes, ... vitam ... deſperaſſent; reſurgentium ex mortuis conditione ... em. Cur non ſoli ... dant, quæ ſoli poſſidere vellent, prima periculorum ... ſortitos non debere fructu laborum priuari. Bellum ... ſum à ... bus ortū, ſe vel inductos vel coactos. ... ſaces

cies

esſure ad veniam aditus. Quæ pro derelictis habita ... primum occupantis. Minabanturq; ſe regi po... ... ditaros, quam paſſuros in diuiſione inæ... atem. Tandem coacti principes ... fuerunt, in vi... dubio intempeſtiuum eſſe de opibus certamen. In ... es omnia imponant, poſtea per ocium & in tuto ex ... ... uros, ſpoliant igitur ædes, implent naues, quas poſtea forte accepturi erant, cum naues non ſuffi... cerent ſportas, arcaſque corio munitas replent nauibus alligant. Orta tamen & altera eſt ſeditio. Certum erat extremos in periculo fore, ſi vel in claſſe vel caſtris fu... ga percrebuiſſet, igitur omnes prima velle, vitare ex... trema. Mira animorum mutatione quamdiu regem in... ... rabilem credidere in media diſcrimina proruebant, poſtquam noua vitæ ſpes illuxit, nouus etiam necis ti... mor ... eſſit, ita quæ fortiter & mortis contemptu ho... mines agunt, raro ex vera ratione, & virtutum normâ ... nt, ſed metu al... ue perciti cupidine operantur. Tra... uancor ſortiri lo... a iuſsit, poſtrema nauium centuria ab ipſo accepta eſt. Ita & ille turbæ compoſitæ.

Media nocte æſtum ventumque proſecuti egredie- LXXVI. *Fugientium exitus.* bantur portu, adeo non ſentientibus regijs, vt poſtremi conuitijs excubitores inceſſere cœperint, ſed Trauancor monuit, incertum eſſe pelagi iter, ſi ventus reflaret pereundum eſſe, iam totum robur artemque fugæ impenderent. Orta luce patriam triſtes ſpectabant, duramque neceſsitatem incuſabant, quæ eos adigeret tam patriam cupide relinquere, quam alij peterent. Iam periculo defuncti, futura aduerſa anxij præcipiebant, oras peregrinas, regû cupidines, odia gentium in exteros ipſas opes exitiabiles. Auguria malorum nondum experos triſtia torquebant. Fugam ſero rex ſenſit, nec niſi explorato vrbem ingreſſus eſt. Eam veteranis & emeritis habitandam dedit, agroſque aſsignauit. Coloniæ Arabiæ præpoſitus Soranus, magnum fidei præmium ... inuidioſum, ſed nunquam pari mercede virtus com... enſatur, cum illa vita regibus, maieſtaſque ſeruetur.

Sed ad fugientes redeo. Poſtquam ad tropas veniſſent, in prata ac ſyluas egreſsi diuiſionem vrgebant: Miſsi in AEgyptum legati ſedes innoxias rogabant. Hic aquarum atque auræ vitio, varios morbos contraxerunt. Grauitas oris, torpor, nauſea, febres vulgabantur, in Borea deinde tendentes procellas, piratas, accolas hoſtes ſensere. Luctus tota claſſe, dum aſsidentægris aut proijciunt mortuos. nec deerat tamen occulta multorum lætitia, qui paucitate ſuperſtitum ampliores prędas ſperabant. Dira humani ingenij auiditate, quæ nec in pericula, nec in vltimam ſenectam præcipitatos deſerit. Vltra progreſsis roſtratæ Romanorum obuiæ fuere. Iterant per legatos dicta. Se nec paci indecores, nec bello inutiles fore, negociationi & prælio ex æquo habiles, nec timendos à ſe tumultus, didiciſſe imperantibus parere, quin ſe cunctis documento eſſe, cœleſti decreto legitima imperia principum ſancta atque inuiolata eſſe: addunt & pollicitationes, non eſſe inacceſſos. Nili fontes, ſub ipſo ſole æſtus eſſe tolerabiles, etiam niues hyemeſque ſentiri. Lucius claſsi præfectus humaniter ſupplices excepit, iuſsi arma tradere, paruere. nec enim illis contra potentiam defendi poterant, nec retinendo ſuſpicionem fugiſſent. Coſtumam eos Lucius deduxit, vbi plerique varijs morbis periere.

LXXVII. *Regnum Abiſſini.* Mutatis Medinæ incolis, poſtquam fata migrantium perſcripta ſunt, nemini viſæ leges arduæ. Magna ſacerdotum pietas, modeſtia, ſobrietas, rerum diuinarum flagrantiſsima ſtudia, par iudicum æquitas, præſidum humanitas. Super omnia regis eminens virtus poteſtate armata, hinc pax, tranquillitas, agrorum cultura, rerum eo maior abundantia, quo minus in luxum expendebatur. Non deerant prauæ cupiditates & ſcelera, ſed metu, & pœnis coercita, aut ſimulatione tecta raro ſeſe exerebant. Quin Abiſsinus vicinorum regum & populorum arbiter, ac legislator plerunque acceríebatur.

Ve-

Verum in rebus humanis incerta omnia. Innocentia LXXVIII. *Inclinatio morum.*
nihil tenerius, quæ facile amittitur, facilius læditur.
Vxorem rex duxerat, vt ſupra dixi, Artauaſdam Perſidem, quæ ſub finem belli filium peperit. Ab eius
aula prima regni lues. Fœminæ erat forma prima, ingenium ſupra ſexum, ad honeſta iuxta ac praua, ferocia inſita, profunda ſimulatio præcipue religionis.
A ſacris illi erat Ataphernes Epiſcopus, ſecta Manichæus, qui regem omneſque pietatis imitamentis ludificabat, eiſdem artibus reginam imbuebat. Pharnabazus aulæ magiſter erat, voluptariæ vitæ ex Epicuri ſchola initiatus, vitijs fomenta præbebant, quibus magnifice & lente vtebatur, probra cælabat. Eloquentia pollens omnium ſe moribus attemperabat,
de iuſtitia & virtute nemo rectius loqui, nemo ſentire contemptius. Aliquando inſignia quædam pietatis ſimulachra oſtentabat, rumorum ac laudis aucupator. Satellitum præfectus erat Barſanes, qui
licentia vitia vna honoris cupidine premebat. Hi aulam mentemque reginæ moderabantur. In regis aula erant Ioannes Epiſcopus, Garamas, Canorinus, Hananus ſpectatæ fidei. Aderat & Hiarbas callidus & calumniator, ſed pericula pro rege obierat. Deinde Nicerinus ganea marcidus, ſed Perſici matrimonij curator, reginæ carus. Denique Tambianus iactator & audax, bello inclytus. Mortuo Patriarcha, regina palam pro Atapherne ambiebat,
& ille ſpecie recuſantis dignitatem ardentiſsime concupierat. Epiſcopi exterum aſpernati, Tameſſum elegerunt. Ataphernes in ſolamen repulſæ arcanis regis
inſcritur. Interea Hananum & Canorinum inter poſt triginta annorum arctam publiceque ſalutarem amicitiam atrox diſcordia ſuſcitatur, quam rex dum ſopire
nititur, accendit. Vicinos ſaltus poſsidebant, inde de iure venationis primum inter miniſtros, deinde domi-

nos

nos rabies incruduit. Rex vt vterque ſibi cedat, clemẽter poſtulat maiora ſe vtrique daturum: prompte paruere. Canorinus tamen inter ſuos dixerat, regem Hanano & rem & famam ſeruaſſe, alias omnia amiſſuro. Verba illa per occultos ſermonum ſcrutatores ad Hananum delata grauius animum militarem commouit, diem Canorino dicit, diſceptatum non de re, ſed de calumnia. Omnibus monitis obtendebatur famæ defenſio, iræ & odij prætextus. Deſperata reconciliatione rex ſeiungẽdos ratus, Canorinum Manicongianis, Hananum Arabibus præficit. Læta horum diſceſſu Regina obtinet, vt Hanano Pharnabazus, Canorino Barſanes ſuccedat, horum cura præcipua Ioannem & Garamantem euertere, iamque minor eorum erat æſtimatio, ſiue quia regem ſatias veterum miniſtrorum cœperat, ſiue quia noui obſequentiores facile ſubrepunt. Regem quidem non accuſauero, quos nequaquam improbos eſſe credidit, ... gentem. Nec defendero tamen, quod in optimorum ... pia coniugi obſecutus non ſat perſpectos ad ſumma euocarit. Qui præſtantiſsimum quemque negocijs deſtinat, ſæpe fallitur, & mediocribus contentus eſſe ... tur. At qui ſponte optimos præterit, in peſsimos ... ter incidit. Nec dignus eſt miniſtro bono fidoq́; qui optimum, cum habere poſſet, contempſit.

LXXIX. *Regis negligentia correcta.* Ab his iudices, præſideſque non ex virtute, ſed affectu legebantur: ipſi iudicum cenſores minore auctoritate, ac proinde voluntate rem agebant, quod à ſummo conſilio, minus quam par eſſet, adiutarentur. At eorum quos nominaui cura erat, regem dimoueri rebus, & per ſpeciem ſeruandæ maieſtatis Perſicum faſtum induere. Regis ex longinquo dictabant, maiorem eſſe reuerentiam. Indignum eſſe tantum faſtigium querelis priuatorum pulſari, infimis conſociare ſermonem. Tot laboribus non animum vnum, corpuſue ſuffi cere. Minora fidis amicis confideret, ipſe curandæ ac tuendæ valetudinis tempus ſeligeret, ne ſibi, ne poſteris moleſtias viribus maiores accerſeret. Audiebat illa rex, & quia ſpe-

ie reprehendendi adulatio ingerebatur, minus malitiâ
ſpectabat, atque in dies aliquid de neceſſario labore
emittebat. Aderat pax & res ſecundum voluntatem
uentes, molliendis, eneruandiſque animis nimium quâ
idæ. Prætextu igitur maieſtatis regem obſidere in-
perant, alios excludere, vnum hoc cônati, ne aliud rex
idire poſſet quam ipſi vellent, nec aliud noſſe quam
ſis expediret. Hinc audacius quædam delicta perpe-
abantur, latendi ſecuritate, non ſine obtrectatione
lgi Perſicos mores exoſi. Dolebat Garamas, Ioannes
am monuit, veritus, ne Moſambi tempora redirent,
ex tum quidem iram preſsit, altero die in conſilio gra-
ter queſtus eſt, negocia non recte geri, multos regio
nſpectu arceri, quos audire eſſet operæ precium. cœ-
t; iterum laborioſius negocijs incumbere.

Hinc æmulorum peruicax in Ioannem odium, con- LXXX. *Calumnia in Ioannem.*
iratio, calumniæ, quodque iſta comitatur, euerſio, ſi
talis euerti poſſet. Virtus eius ſupra fortunæ tela a-
cum extulerat, & quæ damnoſa fortibus accidere vi-
ntur, exercitamenta ſunt, lucroque cedunt & honori.
nſultatum veneno an ferro tollerent. Neutrum in
omptu. Fida domi, & intacta ſceleribus miniſteria.
acuit ergo acutiſsimum inuidiæ telum, calumnia.
aphernes reginam aggreditur. Ioannem venena in
lgus ſpargere, traducere Perſicos faſtus, hominem eſ-
ublice exitioſum, pueritiam principis rexiſſe, nunc
nantibus dominari: tempus eſſe regem ſeruitio exi-
re: certe iam emancipatum eſſe. Audendum aliquid
dem diſcipulo, quod magiſter improbet, non aliter
ertatem quæri. Regina hęc eadem regis in aures quo-
e ingerere, additis lacrymis & blanditijs malorum
orum conciliatricibus. Nec in Ioannem rex tamen
nmouebatur, abeſſe aula optabat, vt ſe atque illum
leſtia liberaret. Ea nocte carmen famoſum regiæ fo-
us appenſum, quo exprobrabatur: Aethiopas vendi
ſis, iuſtitiam auro vendi, regem vxorium eſſe, redire
ſambi mores, rediturum & ferrum. Turbulenta &

ſedi

ſeditioſa vox bonos terruit, propoſito prēmio in aucto-rem inquirebatur. Eo magis clareſcebat infamia, quod videretur agnoſci. Vulgus imperantium contumelia læ-tum, gaudebat vnum dixiſſe, quod omnes cogitabant. Ioannem nonnulli inſimulabant, non quod de viro op-timo rem tam improbam crederent, verum vt terre-rent: ille innocentiæ fiducia, contemptu malignitatem æmulorum vindicabat. In conſilio ſententiam rogatus, reſpondit. Infamium carminum editores, Chriſtiano-rum ſocietate pelli, gladio puniri, etiam ſi in priuatos tantummodo conuitia ſpargantur, grauiore pœna ma-ieſtatem regiam, & iura ſancienda. Maiore autem cura inquirendum: An quorundam errore, lapſuue publico conuitijs anſa prębeatur. Vnicum eſſe, certiſsimumque famæ bonæ præſidium, ſi vitetur, quod reprehendi po-teſt; agatur, quod laudari debet. Nunquam obtrectandi finem fore perſeuerantibus cauſis. Famam ſi ex vero ſit, ne à regibus quidem ſiſti poſſe. Eſſe malum quod agitando creſcat, manare riuos, donec obſtruantur fon-tes. Nunquam defore, qui regum facta occulte & [illegible]-ſint, & velint carpere. Hanc vindictam eſſe miſerorum per obloquia vlciſci potentes. Huic tam magno malo ſufficere vnius manum, & conſcientiam, qui ſi tacere norit, à nullo prodi poſsit. In maledicos quidem an-quirendum, at in maleficos multo ſeuerius: quod ab his conuitiandi occaſio præbeatur, illis magna cauſa ſit non tacendi.

LXXXI. *Ioannes vulneratur.* Perculerat male conſcios ſua libertate, igitur [illegible]-bas ad vim conuertitur. Tambianum ad facinus impel-lit, ſicario conducto noctem eligit, qua in horti ſacel-lo ſine arbitris precari ſolitum nouerat, media nocte homo nefarius aggreditur antiſtitem, latus haurire co-natus, brachium transfodit, moxq; repetito in præcor-dia ictu, in ſacrum codicem, quem ſinu forte geſtabat, enſem adegit, fregitque. Ioannis vna vox audita eſt. Igno-ſce Deus ferienti. Ille territus per vicinum admini-cula in murum euadit, deinde per funem delapſus Tam-bia-

bianum ſceleris mercedem petiturus accedit, quæ dig-
na illi parata erat. Etenim conductor homicidæ, œco-
nomo mandauerat, vt in abſtruſam ædium partem ſe-
ductum, dum pecunia numeranda occupatur, occide-
ret. Verebatur enim ne per leuitatem, aut vinũ, aut ſane
aliud ob crimen reus ſecretum proderet, aut certe vi-
uendo ſcelus auctori ſuo exprobraret. At ſicarius, non ig-
narus quid meruiſſet, ita aurum accepit, vt a capulo ma-
num nuſquam dimoueret. Tambianus iras in Oecono-
mum vertit, eius trepidatione euaſiſſe ſicarium indig-
natus, promiſsis Habedorũ inducit, vt Oeconomũ oc-
cidat, ille etſi ſeruus erat non malus, non tamen par, qui
domino praua iubenti reſiſteret, ergo cruentum mini-
sterium pollicetur, feſto die è ſacra concione redeunti,
turbatoque (de homicidio audierat oratorem, & dicta
voluebat) Oeconomus in illum diem ſuas vices ipſi mã-
dat, monetque aſſueſceret regere familiam, ne ſibi in-
expertus ſuccederet. Hæc ille familiari vrbanitate, neſ-
cius quid de ſe decretum eſſet. Habedorus vero ita ac-
cepit, quaſi à deſtinatæ cædis conſcio dicerentur, ma-
gis trepidat, nec dominum monere, nec Oeconomum
audebat, tandem ſtatuit, & facinori, & domino ſeſe ſub-
ducere. Oeconomum tandem ſui periculi admonet.
Itur conuenit, vt Oeconomus in villam negocij cau-
ſa profecturum ſe indicet, ſeruus quaſi noui aliquid al-
laturus ſequatur, ita inopinantem facile opprimi poſ-
ſe. credidit Tambianus Habedoro, & probat conſi-
lium, ſed eodem tempore Oeconomus fugit, Habe-
dorus rem ad Garamantem, ille ad regem defert.
Tambianus in carcere ſtrangulatur, ſicarius ſummo
ſupplicio necatur. Hiarbas negandi conſtantia,
in quæſtiones eluſit, vindictam deinceps non eua-

Ioannes occaſionem nactus, miſsionem à rege pete- LXXXII
re, valetudinem, ætatem, inuidiam cauſari. rex an- *Ioannes aula cedit.*
ceps hærebat, egere ſe tanti viri operà non ignorabat,
aſperum tamen, & nimia libertate præ grauem abeſſe,

non

non moleſte ferebat, fama inſuper terrebat, & ad[illegible] c[illegible]eris [illegible]ecedendi cauſis inuidia diſplicebat. Scilicet [illegible] in ſecretiore conſilio virtutem intutam eſſe. nec n[illegible] illam eſſe viri magni, ſed eorum à quibus recederent. Perſtitit in ſententia Præſul, regina etiam d[illegible]precari [illegible] vſus. diſ[illegible]eſſu ſuo vitijs aditum [illegible]edit, mox ſoga v[illegible]tum [illegible]um virum comitata eſt, & regnum vetus ruina inuoluit. Perſæ tanta victoria elati in Caramantem incumbebant, vt illo amoto, regem in ſuos mores formarent, reginæ potentiam augerent, cuius fructum [illegible] perciperent. Vnicum ſtudium erat, regem voluptat[illegible] b[illegible] & deſidiæ detinere. Pharnabazus nunc reginæ v[illegible] nem, nunc regis labores prætendens, cum per a[illegible] ſyluarum, illecebroſa hortorum ducere, venationes [illegible]dornare, trahere immenſam hominum turbam, quæ [illegible]liciarum inſtrumenta veheret, epulaſque ſtrueret. N[illegible]dum tamen illecebræ animum conſtantem ad flagitia auctorarent, molliebant, & ad ardua curarum ta[illegible] fugitantemque laboris efficiebant. Et ſi malum [illegible] non adeſſet, illud tamen noxium erat, quod r[illegible] gerendarum tempora, ſcenæ, ventus, ludicra ſpectacula occupabant. atque interim etiã orandi, legendi, templa adeundi priſtina conſuetudo intermiſſa. Sũptu quoque excedebatur & luxu, dum faſtui vxoris nihil ſat magnificum, auaritiæ nihil ſat magnum eſt. Damnoſa interim erat miniſtrorum rapacitas, qui poſtquam op[illegible] cœpiſſet, aut magnitudini diuitiarum ſuarum timebant, diſcrimini ſeſe ſubducebant, & recentibus locum [illegible]bant.

LXXXIII. *Regina euerſa.* Hiarbas, Nicerinus, cæterique Aethiopes [illegible]ſas cernerent, regis fauorem, liberalitatem, imo p[illegible]tiam in ſe vertere, idque malis ac pernicioſis art[illegible], nec obſiſtendi ſibi v[illegible]eſſe, tætriore conſilio [illegible] r[illegible] aggrediuntur. Perſæ [illegible] qui reginæ ſubſeruiebant, id agebãt, ne quiſquam à rege admitteretur, quod ſpeciem violati thori haberet. erantque regi etſi [illegible] innocentes, nondum tamen turpes aut probroſæ deli[illegible]

[illegible]

iæ,frequentia,non genere ipſo delinquebatur.Quæ cũ
ueritate aut corrigi aut minui poſſe Hiarbas diffide-
t,ſtatuit intendere.Igitur cũ ſocijs,regẽ in ſuos quoq;
ortos inuitare,cum Perſis certare: deinde cum regina
orbo detineretur, adijcere ſenſim cantatricũ cœtus,
q; alia illectamenta libidinum:atq; ita tandem labefa-
um regis animũ procliue erat in præcipitium dare.
unquã ibi vitia conſiſtunt, vbi cœperũt.Iam verſo re-
m cardine,ſummo loco eſſe Hiarbas, potens apud ſe-
etas regis libidines,coniugis amor ceſſerat,formarum
bito delectu animus pollutus vinciebatur,Regina va-
obtentu,Perſæq; à regis conſpectu arcebantur. Hinc
pellices,pellicumq́; cognatos congeſtę opes,dignita-
q;,& ſemper graues prouincijs per dedecus imperiũ
epti.Tum vero regina Perſæq; dolere,ipſa nunc inſi-
ferocia furere,nunc amore blandiri,odio & amore a-
nus alternabat.Pharnabazum ſocioſq́; accuſabat,qui
riti animũ diſſoluiſſent.conſueto hominũ errore,qui
ijs quæ induxerunt,modum ſtatuere ſe poſſe arbitrã-
,at illa paruis primum initijs orta, impetu ſuo ferũ-
primũ ad lenocinia deflectunt,inde in praua & tur-
demum in exitia precipitant,at Deus peccata pecca-
& eorum auctores proprijs conſilijs vlciſcitur. Re-
à vita laborioſa,pia, ſobria, à cura regni abducere
auaſda cogitabat,vt ſibi liberius regnandi poteſtas
t,hinc vt conatus eluderet ad inconceſſas voluptates
rbas trahebat,reginamq; non gratia modo,ſed tha-
o etiam proturbat. Omnium impiorum conſilio-
vnus exitus,pernicies.

taphernes poſtquã Aethiopas victores animaduer- LXXXIV.
Perſas deſerit , felicium ſectator & paraſitus. impia *Mors Ata*
r menſâ diſſerere, omnium rerum præter volupta- *pherna.*
contemptor.rex primum quaſi per ludibrium dictis
lebat, ſenſim veriſimilia iudicabat, demum quaſi
iora neſciret, his veluti iucundis attinebatur.Ad ar-
primum mouenda Madaurum præſidem Nubijs vi-
m iniuria acciuit:alijſq́; in occaſionem intentis fa-

cem prætulit. Arſinoem filiam in regio Gynæceo forma moribuſque celebrem habebat, potenti Nubiorum dynaſtæ deſponſam, eam Atapharnes conciliare regi, aggreſſus, cum expugnare non poſſet animũ pudicum, fefellit. Nam regem vni coniugi non eſſe obligatum, eamque proinde poſſe legitimo eius matrimonio potiri perſuaſit. Nec illa dubitauit, magnum nomen Atapheruæ, & opinio ſanctitatis. Clam virgo euocatur, teſtes, tabulæ, conuiuium, alia nuptiarum ſolita peraguntur, nec diu reginam fefellit, ſagax amor, & fœminæ in ſuo regno fida miniſteria: ergo quamuis furor & ira mẽtem præcipitarent, ordine tamen ſolerterq; iniurias vlta eſt. magna noctis pars regi per temulentiam traducebatur, dum Arſinoe à male ſobrijs ſella geſtatoria ad regium conclaue defertur, regina eam per diſpoſitos intercepit, tenebræ, & laſciuia cuncta inſidijs fecerant obnoxia. Ataphernem etiam captum, mala ſua non ſentientem in carcerem coniecit. Neque res curæ erant regi, ſiue veritus vxorem, ſiue nihil triſte ominatus in alia delabebatur. Artauaſda contumelia ardens coram Apherne Arſinoem ſtrangulari iuſsit, ipſum diris ſupplicijs excruciauit, viſens, oculos paſcens, & celerem mortem oranti inſultans. Nec enim facile ſæuitiem reperias, quæ iram fœminæ læſo thalamo furentis exæquet. Hinc in hiſtoriæ monumentis tot funera maritorum. Nec mirum, cum enim in tuenda vxorum pudicitia mariti ſint diligentes, in vindicanda ſeueri, non debent ipſi ſibi permittere, quod in conſorte atrociter puniunt.

xxxv. *Rebellio* *...nda* Paulo antequam hæc agerentur, Melinda defecerat, cara Abiſsino ciuitas, nutrix, & iuuentutis eius eruditrix, cultrixque. Maharbal illi præfectus erat, dignitatem ſororis lenocinio adeptus, cumque tirones & claſſem in poteſtate haberet, mare piraticâ infeſtum reddiderat, in eadem culpa primores ciuitates erant, nauium præfecti. Miſſus ad inquirendum Ancaxus minabatur, & tributa acerbe exigebat, metu exitij Maharbal cum

ſocijs

ſocijs populum inſolita tributi flagitatione commotum ad rebellionem concitant, Ancaxum in mare præcipitant, res illius diripiunt. Sollicitum regem habebat illa defectio, quod eædem in cœteris prouincijs cauſæ. Sed neque ex vero magnitudo periculi nunciabatur, aſſentatoreſque vera ac falſa iuxta narrando cuncta eleuabant. Hinc dum ſpes ignauo inijcitur, remedia differuntur. At delicias ociumque Macaurus excuſſit. Ille pro rege palam delectus habebat, occulte ex Nubijs alijſque militem colligebat, tribunos & centuriones clientes ſuos, aut ex aliqua iniuria regi implacabiles elegerat. Gener ei nuper deſtinatus ſumens Nubios accendebat. Poſtquam protectionem inixerat, ſatiſque per contubernia milites incitarat, publice in concionem prodit. Arma, inquit, cepimus contra Melindam, longum iter facturi. at mihi gerenda pro rege, proque nobis videntur. Melindam ad vltimem exacuit Ancaxus prædo. Ille meritas pœnas, nos urbem opprimere fas non eſt, ne nos alij pari modo opprimant. Regem homines improbi, decoctores, ebrii, lenones obſident, virorum fortium præmia libinum adminiſtris cedunt, inter comeſſationes de nobis iudicant, inſuper Perſæ velut hirundines patriæ ſanguinem hauriunt. Captiuum igitur regem liberemus, malorum auctores bello petamus, nos ipſi iam arorum potentes in libertatem aſſeramus. An æquum nos in diſcrimina animas mittere, at interim patriam lenonibus regia vi atque auctoritate prædantibus hilari? Nos procul domo, agnatis, amicis, coniugibus liberiſque inter hoſtium tela, ſub tentoria iam trahemus, vt ſpolia patriæ aulici epulones poſſideant, nos viles animas proijciemus, ne metus quis delicias regiæ conturbet. Quin potius ſi viſumus, tyrannidis adminiſtros è medio tollamus, rectaque in regiam ſcelerum altricem proficiſcamur. Rex niſi improbis conſultoribus abſcis ſaluus eſſe non poteſt. Acclamatum, duceret,

quo vellet. itèr deinde magna celeritate conficit, & per diuerſa legiones ducit, vt commeatus ſupereſſet, pluresque commoueret: nam ire ſe regi auxilio iactabat, vltionem improbis, remedium omnium malis allaturum. beneuole excipiebatur, viris, armis, annona iuuabatur, odium præſentium ad futura animos erexerat.

LXXXVI. *Vincitur Abiſſinus Madaurus occiditur.* Occurrentem cum ſubito exercitu regem facilè fudit. Prætoria cohors & aula delicijs inſueta vix fremitum prælij ſuſtinuère: plerique in fuga aut è latebris extracti fœda morte periere. Nihil ad artem luxuriæ, bellatores. Diutiſsime rex ſubſtitit, donec ab omnibus deſertus fugere, quam capi maluit, ac tum primum ſenſit, fortunæ illam, non ſuam turbam fuiſſe. Fugientem Madaurus equitatum inſequi, & comprehendere iuſsit. Verum Abiſsinus ex fuga equitem ſuum colligens, atque ad pugnandum hortatus, aut ſane ſeruatis ordinibus cedendum, agmen claudebat. Tum memorabili caſu ſane claruit, quam nihil in periculis præſidij regibus conferant illi, qui per voluptatum miniſteria gratiam tenuerunt. Regis & Nicerini equus eodem tempore ſauciabantur, vnus ex illis ſupererat, qui more regio ducebantur, in eum rex inſilire conatus à Nicerino retrahitur, nec enim vlla iam niſi in fuga ſalus. Tum vero Abiſsinus exardeſcens, vt erat manu promptus, Nicerinum gladio ferit, celeriq; curſu hoſtem euadit, Nicerinus obteritur. Regem opprimere Madaurus poterat, ſi pertinacius inſequi voluiſſet, ſed odio reginæ & theſaurorum cupiditate auferebatur, quo præda inceſcatum militem ſibi deuinciret. vrbem ergo ſine certamine capit, reginam è fuga retrahit, in filiæ cubiculo viuam exurit. Neque diu tamen tanto ſcelere lætatus eſt. Malorum enim facinorum, etſi aliquando ſucceſſus optatus, triſtis eſt tamen ſemper exitus. Madaurus nefando exemplo delicta regum vltus, documento fuit, principes etſi errantes, ſubiectis nihilo minus eſſe oportere ſacroſanctos. Par Eunuchorum, quod magno fuerat

rat apud reginam in precio, ad infima miniſteria deiecerat, ad contumeliam ſeruilis animus exarſit, cœnantem ex improuiſo adorti in turba miniſtrantium occidere. Tormentis admoti aliam facinoris cauſam non dixere, quam quod indigna ſeruitute premi nollent, ſeruili igitur ſemiuirorum manu cecidit, docuitque lubricam eſſe hominum felicitatem, niſi numinis fauore ac potentia firmetur: cum fortiſsimo cuique periculum ſit ab inualido, & multa timentibus vis inopina vitam auferat. Eunuchos conſtantia, quâ extréma tolerarunt fortiſsimis æquauit, magna in laude ponẽdi, ſi regijs potius iniurijs, quam ſeruili contumaciæ tam nobilem vindictam impendiſſent.

Abiſsinum plerique deſeruerant, nec præſentibus debita erga regem veneratio vel obſequium, calamitas æquaſſe ſummis infimos videbatur. quo arctius quiſque regiæ amicitiæ inhæſerat, eo grauius ex aduerſa parte diſcrimen. Grauis igitur erat comitatus, qui nec defendere regem poſſet, nec latere pateretur, inſuper proditio timebatur, animique ad fortunam mutabiles, petere aliquam prouinciæ partem temerarium videbatur, cunctis infenſis, aut ſuſpectis. Noctu igitur cum Garamante, duobuſque fidiſsimis camelos conſcendit, rex & Garamas gemmas aurumque pro viatico, duces contuſas, ſiccataſque carnes, & vinum beſtijs impoſuerant. Iter ad regem Garamantem habebant, inculta & auia locorum ſectabantur. At non diu regi conſtitit valetudo, ardor ſolis, vrentes arenæ, cibus inſuetus, vigiliæ, mœrorque vires fregerat. Mœſtis à longe ſyluula apparet, quam an intrarent ambigui hærebant, veriti ne vel anguium multitudine æſtus fugientium, vel latronibus inſideretur. Vicit tamen ſpes, dum præſens quodque malum grauiſsimum exiſtimant, futura minus formidabant. Iamque tam vitæ, quam fugæ tædium animos ceperat. Propinquantibus vir ouilla pelle indutus, media ætate, forma honeſta, niſi quod macies, & inculta barba venuſtatem abſtulerant, ille lingua Aethiopica

LXXXVII. *Fuga Abiſſini.*

ſalutat, ciuiliq́ue geſtu & comitate ad nemus inuitat, mirantibus narrat: ſqualentibus vndique terquis, habitaculum illic eſſe ſalubre, arboribus conſitum, fontibus perennibus amœnum, hoſpitibus refugium, viros ſanctos incolere, ſine metu ſuccedant, corporaq; curent. Intrantibus per circuitum multa fraxinus cernitur, qua re mire lætus rex animos ſumpſit. Nam ſerpentibus ingens eius eſt arboris metus, odiumq́; vmbram eius auſtamq; fugiunt, ignes facilius, quam frondiū contactu patiuntur. Introrſum vident lætos ceſpites, felices arbores, vites, ſegetes, limpidos fontes, in medio e tabulis palmarum templū, circum natiua quadam munditie ædes, ſine operoſa elegantia. Ingreſſos ſenior pronus in terram adorat, tum cœteri concurrunt, pro ſe quiſq; curat, pedes lauant, nec iumentorū neglecta cura. Atq; inter iſta obſequia menſa multa vrbanitate ponitur. Admirans Garamas, (nam is pro domino ſe gerebat, Abiſsinus ſe miniſtrum ſimulabat) rogat, cur ſibi & ignotis, & vulgaribus hominibus tantum honoris habeant. Tum qui extra nemus venientibus occurrerat Zacharias reſpondet. Hoſpites omnes recipere ſe lege Chriſti, & tanquā Chriſtum ipſum, cuius ſint non modo amici, ſed & mēbra. Satis nobilem eſſe, quem Deus filium, fratrem Chriſtus agnoſcat. Quin & exemplo ſibi eſſe Abrahamum, Lotumq́ue. Rogare ſe omnium nomine, ne temnant opes, quas religioſa caritas miniſtret, dapes eſſe ſine ſumptu & delicijs, ſed & ſine periculo. menſa e palma, ſupellex è citro erat, copia carnium ac piſcium, & que humus fœcunda gignit. Primo loco Garamas, inde Abiſsinus comiteſq; conſident, ex aduerſo ſenior ac Zacharias, qui ſcite decoreq; ad aulicæ elegantię normā fercula diuidebat, regemq;, etſi ſecundo loco recubentem, honore præcipuo colebat, & comiter ad hilaritatē prouocabat, neq; ſanctitatē vir prudens moroſitate definiebat, quin vt mœrentes ſolaretur, aulicam vrbanitatē cilicio inſuetam, caritati non alienā aſſumpſerat. Atque iam ſollicitos, & cogitabundos cerneret, læto vultu,
aſſur-

aſſurgens Garamanti propinat, hauſtoq; poculo, verba Dauidis pronunciat: Domine ſaluum fac regem. Tu vero magis attonitos hortatur, magno ſint animo, curas ſeponant, Deo illos eſſe cordi, eius prouidentia omnia cõtineri, qui & hominũ capillos, & paſſerum plumulas in numerato habeat. Mœſtitiã ponant. Angore animi, metuq; vigorẽ corporum minui, non diſcuti pericula. Deũ deprimere, & ſubleuare, deducere ad inferos, & reducere. Aduerſa ſæpius cauſas eſſe fortunæ ſecundæ. Qui ſe Deo permittãt, atq; in eum recubant, ex omnibus malis eluctari. Se quoq; multis iactatũ procellis hunc in portum deueniſſe. Plura conantẽ ſuſpirio ſingultuq; interceptavox deſtituit. Aethiopes ſe agnitos nõ ambigebãt, & vt in aduerſis ſuſpicax eſt animus, noua pericula præſumebãt. At Zacharias preſſo paulũſper motu: Te, inquit, dominu meum regem, Abiſsine. Te Garamantẽ agnoſco. Tuus ô rex cõdiſcipulus, cõmilito, colluſor, & quod meminiſſe nũc operæ preciũ eſt, in precibus, cultuque numinis inter ſocios primus, sũ, ſi recordaris, Zacharias. ex meis omnibus opibus, tuiſq; donis vnũ ſupereſt, veterẽ notitiã teſtaturus codex, eũ certe noſti. (Chriſti patiẽtis hiſtoriã adoleſcẽs aureis literis deſcripſerat, & Zachariæ donarat) vtrumq; ſua delicta, aliena perfidia huc tranſtulit, imo me Deus præmiſit, ſalutis tibi ſuaſorẽ futurũ. Reuertere ad Deum, ille te reponet, vnde excidiſti. Verum nunc in longum protracta vox eſt, & tibi neceſſaria quies, cras cætera perſequemur.

Rex admiratione, metu, pudore conſternatus cubitũ conceſsit, noctem ipſe & Garamas duxit inſomnẽ, dũq; actæ per virtutem adoleſcentiæ recordaretur, vitæ præſentis, ac vitiorum horror ſubibat, gliſcebat priſtinæ innocentiæ amor, quantum praua conſuetudo ſinebat. ſtimulos è cœlo admouebat Deus, quibus invitã meliorẽ reduceret. Altera luce poſt quã caſus ſuos rex enarraſſet, viciſsim à Zacharia poſtulat audire, quæ illi accidiſsẽt. Annos natus, inquit, ſedecim infelice caſu à te diſceſsi, cauſa prętendebatur parentis valetudo: vera erat vrgens

LXXVIII. *Zacharias calumnia oppreſſus.*

lera exprobrare viderer, & intuta videbatur apud rapacem iudicem opinio probitatis. itur igitur ad Angelinum, qui lætus ſibi anſam datam, & Seradeni demerendi, & mei euertendi vltrò ſe crimini obtulit. Mihi verò per literas queſtus eſt, iam ſibi ſceleris miniſterium delatum, ſibi in animo eſſe patria potius cedere, quàm tam flagitioſa amicitia perire.. neque enim tot malarum artium exitum non poſſe eſſe miſerrimum. conſilium à me petere, rogare vt literas continuò exuram, ſe idem facturum vbi meas legerit. Ego doli inſcius in hæc verba reſcribo, ſimul eius illi literas remitto. Aliud tibi conſilium dare non poſſum, nec debeo, quàm quod ipſe ſecutus ſum, vt te nimirum alieno crimini ſubducas: non deerit occaſio tergiuerſandi, ſi alia non eſt excuſatio, valetudinem prætende, ſi forti es animo, dic Seradeno, vt ſolus ipſe pereat, aliorum innocentiam ne oppugnet. Miſerum me cui vxor deſpondetur, quam non amo, quam propter patris ſcelera odiſſe cogor; nec dotem moror rapinis pollutam, diris execrabilem, innoxijs opibus exitio futuram. Totam illam familiam, quaſi inferorum candidatam horreo, ô dura fatorum, colere & adulari cogor, quos abominor, & per tot aſpera ſpes incertas ſequor. Vale, tabellas exure. Illas rectà ad Seradenum defert, & vetera mea dicta ingerit.

Interim Seradenum, quaſi omnium ignarum colere pergo, ille furenter iraſcitur, quò enim plura à me in illum officia proficiſcebātur, eò grauius ſimulatione offendebatur, obtegendi tamen ſui callidus, odia, ne vindictam perderet, premebat. nec multò poſt Gorgorum virum nobilem, corpore prævalidum, omni genere armorum exercitatum, formidabilem, & multorum ſanguine oblitum duellatorem occultè in me concitat, cuius irriſus & contumelias cùm ferocius exciperem, ad duellum prouocor: & quanquam nulla ſpe victoriæ, viribus & armorum ſcientia impar, diem tamen dico, fatali ſuperbia, magis nomen meticuloſi, quàm improbi veritus. Lege ferali ſancitum erat, vt prouocatus ar- LXXXIX. *Zacharias duello victor.*

 ma

ma eligeret, pridiè igitur quàm pugnaremus, mortis inſtrumenta domum meam non ſine pompa deferebantur, gladij, arcus, ſariſſæ, pila, bipennes, clauæ, cæſtus. Parens per Seradenum impedire pugnam tentarat fruſtra, neſcius eum laniſtam eſſe. Nocte, quam ſupremam arbitrabar, me mœſtum ſomnus occupat, viſus adeſſe Mandarus, ac monere, Gorgoro imparem me eſſe, victorem fore, ſi reiectis aduerſarij armis, funda pugnarem. Illa ſanè deſtinata, nunquam errante dextra feriebam, à ſeruo Arabe edoctus. lætus me ſtrato corripio, fundas binas apparo, globoſque è plumbo, atque alijs armis, quæ currui impoſueram, adijcio. Matutinus cum ſociis adeſt Gorgorus, deſignantur arbitri, arma curru euehuntur, atque ita compoſiti ſimul egredimur, effuſa ciuitate, manifeſta ergà me miſeratione, illum odio. cum in arenam ventum eſt, ego meos, ille ſuos amplexus vltimum vale dicimus. Deinde ex more ſæuitiæ gladiatoriæ nos quoque ante vulnera amicitię imitamẽta iunctis pectoribus peragimus, orta comploratio toto campo, cum homo robuſtus & grandis dum me amplectitur, toto vertice ſupereminere cernitur, ſolabar me tamen fauore populi, & ſi caderem, pompa funeris: ab inimico amplexu digreſſus, arma ſingula contuor, purpuraque qua intecta erant, euoluo. fundas & peras plumbo graues ante pedes mirantis proijcio: alterutrũ vt eligat, iubeo. Ille exalbeſcere, longeque recuſare, non illa arma virorum, ſed ludicra puerorum eſſe. ad ſeriam pugnam ſe, cruentamque veniſſe, quà virium & virtutis decus cerneretur. at me ego Aethiopum, Arabum, etiam Romanorũ exemplo tuebar, apud quos pars caſtrorum ſunt fundibularij. Beniaminæos & Dauidem quoque memorabam. Arbitri pro me iudicarunt, & ingenti clamore ſpectatores plaudebant. Exuimur igitur veſtes, & ſeminudi pugnamus, lentè ille & inſcienter fundam vibrabat, nullus mihi in irritum cadebat ictus, nec vitalia tamen tangere animus erat, crura, brachia, humeros feriebam. Tandem ille dolore ardens iraque,

gla-

gladio arrepto contra legem duelli me aggreditur, verùm tardiore greſſu contuſis tibijs, tum longiore me ſpacio ſubduco, totiſq; viribus habenam contorqueo, ex longinquo autem inardeſcere metallum, & liquefactum in vulnere ſæuire. itaque horrendum clamans cõcidit, delatuſque domum inter curationes obijt, me æquæui ſodales domũ reduxere. Seradenus reducem cõuiuio excepit, nec vllum beneuolentiæ ſignum quod aſtu fingi potuit, omiſit. Iam in tuto eram, & clarũ mihi etiam apud regem nomẽ. rationes iam in futurũ diſponebam, optabiles etiam nuptiæ videbantur, quas ante ſpernebam. Filia enim Seradini meo diſcrimine anxia, cum prius ſe lamentis dediſſet, poſtquam exiſſe me in arenam audijt, animo linquebatur, renũciata verò victoria, lætitiæ magnitudine periclitabatur; quare animum meum mutarat: barbarum videbatur, ſic amantem non redamare.

At ſocer viuace odio exitium moliebatur. Villicum qui duodecim paſſuum millibus aberat, idoneum inſidijs ſtruendis elegit. ita conuenerat, vt quem ex amicis ſuis primum tertia die ad ipſum legaret cum mandatis, in eum leones immitteret. ſymbolum erat: vt quæreret, an mandata domini perfeciſſet. Me veſpere à cœna ſeuocat, rogat vt altera die prima luce ad villam me conferam, atque de mandatorum executione interrogem, rem eſſe magnam & ſecretam, quam ille mihi, vtpote genero, ſoli indicari velit. Promptum me exhibeo, mane primus porta egredior, famulos circa veſperum occurrere iubeo., dum iter celero, à longè Mundari arcem proſpicio, inſontis viri miſeratio mentem ſubijt, & humanæ fragilitatis conſideratio, atque in hunc modum ratiocinabar. Quid tandem noſtra pollet induſtria? quàm pauca conſilia probat euentus? Ecce ille marmora locat, atria pingit, arbuſta ordinat, nitidiſsima culta diſponit, ad ſeros nepotes ſpem extendit, breui cunctis excidet, futuri neſcius pro inimico laborat. At ſanè

XC. *Zachariæ mortem effugit.*

gaudeo meo ſcelere non fieri, quod futurum eſt. Attamen nonne ſupremo numini reus ero, ſi quem accuſando perdere nolui, tacendo perire ſinam? Certè etiam alienum impedire crimen virtus eſt. non monebo amicum inter extrema pericula verſantem. Illa mecum diſceptans, arcem quæ ad viam erat attingo, ingredior, omnia expono. ille vultu animoque immotus: Veni, inquit, iam ad ſacrificium Chriſtianum vocat ſacerdos, fluctus illos Deo committamus, maius malum eſt, quã vt humana ope auerti queat. Deo ſemper iuſta erit ratio, aut permittendi, aut impediendi: expleto ſacrificio menſa poſita eſt, vt inter mœſtos breuis, vt inter amicos plena præceptis virtutum. Hinc properans villam Seradeni plenam tumultu lamentiſque inuenio. Ruſticus ad portam occurrit, ſermonem præoccupat, mandata quidem domini ſe peregiſſe, at infelice caſu, Angolenum, dum hortum ingreditur, à leonibus diſcerptum: proſpiciens, fœdum in modum lacerum corpus intueor, pileum, criſtas, enſem, calcaria agnoſco: mecumque fata amici triſtis reuoluo, miratus virum tam bonum, tã flebili nece periſſe: nec conuenire ſatis, quod paulò antè in templo audieram, Redditurum Deum vnicuique ſecundum opera eius: ita de illo ex ſignis veri ſimilibus, ſed fallacibus iudicabam. Villicus dromedario in vrbe citus auolat, læti facinoris, vt arbitrabatur, nuncius, ego ad Mundarum iterum deflecto, triſtem morte Angoleni. Inde ad vrbem, Seradenum ſolaturus pergo, & ecce ab eius filia literas. Salue & fuge, manenti hac nocte mors parata eſt. Leo Angoleni interfector tibi deſtinatus erat. ille miſſus vt patri de tua nece lætum nuncium ferret, nutu Dei te anteuertit. Poſtquam abiſti, ordinem rei mihi pater recenſuit, ſimul tuas ad Angolenum literas oſtendit, vt mortem tuam lenius ferrem: verum innocentiæ tuæ auxilium ferre volui: viue vbicunq; beatus. mihi ſatis eſt, tibi ſaluti fuiſſe. Literas ad Angolenum ſcriptas mitto, Vale. Hic attonitus, quaſi cœleſti igne fulminatus hæreo, proditio, ira ſoceri, pœna ſocij,

om-

omnia in oculis, dumque expediendæ modum ſalutis meditor, primum eſt viſum, oculos hominum fugere; nec enim dubitabam inſidias vbique collocatas, auerſo igitur equo ſyluam peto: verùm ob viæ difficultates deſerendus erat, igitur per cliuum aſperum enixus nemus ingreſſus, in ſpelunca quam dumus inumbrabat, conſedi, cùm nouus repentè terror obijcitur, viatorem ſtricto gladio inſequitur latro, ille inter arbores vario flexu ictum fruſtrabatur, Deum homineſq; obteſtans, pleno orbe luna ſideraque diem penè reddebant, ergò ſuſpenſo gradu procedens, funda latronis tẽpora tranſuerbero, qui momento temporis ante oculos viatoris exſpirauit. ille de cœlo tactum ſuſpicatus, Deo grates canebat, & iter properabat: ego me in ſpeluncam recipio. venti lenem ſuſurrum, foliorum ſonitum, & cum ſorſus abeſt, ſilentia, ſolitudinemque exhorreſco.

Nec deſuere noua pericula: quaterni latrones, quorũ arma ad lunam relucebant, rectà ſpeluncam, quę inſidas mihi latebras præbebat, concito gradu petebant. Nullũ iam effugium, & contra plures pugna improſpera, enſem tamen ſtringo non ignaue moriturus, totoque affectu (nam timor vocem incluſerat) numen adoro, vt qui proditorem meum pro me ſuccedaneam hoſtiam leoni obiecerat, qui mea manu viatorem liberarat, mihi quoque adeſſe velit: vix illud mente elocutus eram, cũ primus in cadauer impingit, concurrũt ſocij, ducem ſuum agnoſcunt, tenue in temporibus vulnus reperiunt, bulgam auferunt, proiectoque corpore trepidi fugiunt. XCI. *Fuga Zachariæ.*

Hoc periculo defunctus, paulùm à via recedo, atque in condenſam laurum connitor, vbi feſſum ſopor occupat, neque terror, atræque curæ dormientem deſerunt. Leo, Angolenus, Seradenus, ſponſa, mors, totius diei atrocia recurſant. Miſerum hominem, cui ſomnus ipſe ac quies laborum & ſollicitudinis lenimentum, turbida eſt. Etſi autem vera mala non patiebar, credendo tamen falſa cruciabar. Videbar mihi ſyluam infeſto milite cinctam intueri, omnes infeſtis in me vultibus obuerſos, me fru-

ſtra fugam tentare, latebraſq́; veſtigare, Seradenum [illegible] cœteris infeſtum. Mundarum deinde me educere, exercitum illum vrbem ingredi, cuncta cædibus miſcere Mox Seradenum, Milchamū, ipſum parentē tuum plebeio funere duci, te quoq; in ſolio lætum, plauſu circū ſonante, mox infenſo fremitu ac tumultu thronum cōcuti, frangi, diripi, te fugere, quē cū ſequi conarer, præire iubebas, vtriq; reditū fore pollicitus. Altera die timor me in nemore cōtinuit, noctu ad Mundarū iter cogitabā, ergò latronem ſpolio, veſtes eius, vt mos eſt geſtare venatoribus, virentes induo, faciem mori ſucco deformo, capiti quernam coronā ritu venatorio induco, duos lepuſculos funda ſterno, atque ita ad Mundarum propero, ter in notos Seradeni equites incidi, ſed habitu eluſi. apud eum tres menſes latui, pertæſus deinde talis vitæ, externas terras quæſiui, atque hunc in locum propitio numine deductus ſum, nomen ſodalitio dedi, fixumq́ue ſtat animo vitam hoc in diuerſorio finire. Opus meum eſt oratio, lectio, ſacri cantus, horti cultura, hoſpitum cura. Victus frugalis, crebra ieiunia, vini vſus modicus, carnium rarus.

XCII. *Garamātum rex veneno petitus.*

Audientem iſta regem pœnitudo vitæ ſubijt, & ſpreti numinis metus, non iam damna regni amiſsi, non decus, non exilium, & egeſtas, quæ prima vitant homines, animum angebant, vna placandi Dei cura ſupererat, precibus nocturnis, diurnis, lacrymiſque vacabat. Animus ſeriò ad ſe rediens, ac reſipiſcens crimini expiando, virtutiq́ue recuperandæ intentus, cœtera ſpernebat, pleraque etiam, velut impedimenta contemplandæ diuinitatis oderat. His occupatum regem, iamq́ue Dauidi, quàm Abiſsino ſimiliorem Ioannes Epiſcopus inuenit: nam ille audita regis fuga, filios eius ſeruulorum habitu eduxit, cumq́ue in Lybiam tenderet, in parentem incidit. Tum redintegrat[illegible] & luctus & lætitia. Paulò poſt ad Garamantas rex proficiſ[illegible], eos Halibocchus regnabat, amicus Abiſsino, is de[illegible] deditus, curis impar, negocia in Iubam virum in[illegible]pi-

gr[illegible]m,

grum, vigilantem, domino obſequentem, ac proinde potentiam tranſtulerat: illa enim comitantur mutuò, labor & vires. Iuba cupidus erat, & in ſubiectos auſterus. ita mos obtinet, qui abiectiſsimè imperantibus adulantur, aſperrimi ſunt in ſubditos, vt vilitatem ſeruitij rigore imperandi compenſent. Hunc autem Halibocchus vt ſibi magis obligaret, fidumque haberet, generum legit; at aliorſum res cecidit. ingenia ferocia, ſubdolaque beneficijs indolem nō ponunt: quod ſtringere fidem debuit, perfidiam incitauit. iam non qui gratus eſſet, ſed qui potentiam augeret, laborabat, filios regios quibus ſe grauem fore, quoſque in ſuam perniciem creſcere ſuſpicabatur, veneno ſuſtulit, nec obſcurè regnum ſpirabat, quod in ſolam filiam recumbebat. Dux militum erat, caſtellis, vrbibus è ſua factione homines præpoſuerat, optimates æmulatione potentiæ aduerſos habebat. Igitur plebem colere, decreta regia quæ aſperiora curauerat, facto ipſo mitigare, tributa minuere, eamque opinionem inducere, regis ſeueritatem, auaritiam ipſius moderatione corrigi. opulentos, quorum fauorem conciliare non poterat, arte opprimebat. Decretum erat in Nigritas bellum, cui gerendo non neceſſarium modò militem, ſed ſupernumerarium domando regno conſcripſit. Teterrimum quemque legionibus præficiebat, cumque penè regnaret, ignaui tamen eſſe putauit regis exſpectare mortem, ita lenti ſceleris impatiens, virus per Coſtin veneficam ſocero parat, illa iam regiorum filiorum mortibus contaminata miſcet id, quod adultis terris eſt efficaciſsimum, hoc cum ad pocillatorem regium ferret, cryſtallo incluſum, annuli indicio prodita eſt. in conclaui eodem medicus regius & pocillator agebant, Coſtis ſine arbitris datura venenum, abitum medici exſpectabat, interim annulum impalleſcere medicus aduertit, ſuſpicatuſque argentum viuum adeſſe, pocula inſpicit, fœminæque contrectanda, quaſi cælaturam demiratus

rans offert, quæ mox colorem mutabant, ergò colloquium protrahit, & collegam aduocari iubet, cui cùm ſuſpiciones ſuas inſuſurraſſet, illeq́; metalli degenerem colorem notaſſet, reginam monet cum veneno adeſſe Coſtin, inuenta pyxis, ipſa admota tormentis faſſa eſt crimen, pocillator etiam auctorem indicauit, rex cuſtodiri reos imperat.

XCIII. *Iuba occiditur. De bello conſilium.* Facilis horum pœna, at gener arte capiendus erat, quod cum ſibi timendum rex feciſſet. ergò præcipitem morbum ſimulat, tota regia concurritur, gener è vicino caſtro accerſitur, vbi delectus agebat, extrema mandata morientis excepturus venit, venenum ſumptum eſſe coniectabat, ergò vultum more lugentium obuolutus accelerat, in regiam cum paucis admiſſus eſt, ne quieté ægrotantis turbaret, ingreſſus ad Halibocchum, cuncta lamentis implere, miſerari patrem, lugere ſocerum, regni orbitatem, ſuam ſolitudinem queri. Rex aſſidere iuſſo pręcepta regnandi dare, filiam commendare, interea miſsi foras, qui vrbem firmarent præſidijs, alij ad exercitum cum poteſtate, qui regem valere nunciarét, tum iniecta Iubæ vincula, adducta Coſtis & pocillator exprobrantes omnia, ille caput obnubit, nullo verbo reſpondet, ſiue pudore, ſiue in dementiam lapſus, certè inter initia cruciatuum extinctus eſt. Poſtera die ingreſſus eſt Abiſsinus, regio more exceptus, poſtquam aulæ obſequia quieuerunt, & ſibi redditi ſunt reges, in multam noctem ſermonem miſcuêre. In multa pericula naſci reges, quæ non credantur, niſi poſtquam peremerint, ſi quis præuertat, crudelitatis accerſi. Tum de bello, & belli duce deliberatum, Abiſsinus in hæc verba locutus eſt. Si parem meritis tuis gratiam referre vellé, totis regni mei opibus conniti oporteret. Nam profugum tanquam regem honoras, & meis malis tanquam proprijs angeris, quem miſerandi, amandiq́ue affectum ipſis beneficijs antepono. Nunc exiguum eſt, quod rependam, conſilium, & ſi nó reijcis opera. Bellum, o rex, tam graue, tam anceps nulli committes alteri. Tuis ipſe rebus,

rebus, quibus præes, intereſt, nemo tibi temetipſo fidelior eſt. Tanti exercitus dux quiſquis erit, etiam tui potens erit. In caſtris nerui ſunt, & firmitudo regni. reliquum prouinciæ tam latis ſuſum ſpacijs, tot habitatum populis, exiguo ſolo vbi caſtra tenduntur, aut ſeruit, aut præda eſt. certe tentorijs impar eſt, & veluti corpus exanime. Legatus tuus ſuo commodo belligerabitur, aut paciſcetur, multa ad te abſentem referet, quorum occaſio cum tranſierit, ſera conſilia mittentur. At neque militi par animus ad ſeruorum imperia coacti, & in oculis regis pugnaturi. Ducem tuum victoria ſuperbum, clades inſidum faciet, regnum retentum, operamque imputabit tibi, neque ſolio ſe tuo iudicabit indignum, ſi aut dextera, aut ingenio tibi vindicarit. Si hoſtem armatum vicerit, non timebit regem inermem. Raram eſſe fidem vtrque ſenſimus, pleroſque ſpes nimia, aut ſucceſſus reddet infidos. militum ſane fauor ſemper venalis eſt. Tu igitur tot copiarum dominus, aliud caput illis ne imponito. Opportuna regni loca communi, extra fines tuos, hoſti, quam longiſsime obuiam ito. quicquid a tergo reliqueris lucro deputa. plus animi eſt, fiduciæque ſi vltro laceſſas, vt iaculum ſuus impetus, ſic inuadentem aliena terror comes, impetuſque proueh t, adiuuat, eo violentior, quo ocyor. ſic tuis parces, quos nec miles amicus depaſcet, nec hoſticus vaſtabit. celeritate igitur vteris vt in agrum Nigritanum vtraque damna transferas. Proceres ſi quos turbulentos noſti, honoris ſpecie tecum deduces. Principum liberos baltheo cinges, vt te duce rudimenta militiæ ponant, quibus nondum militaris eſt ætas, ad palatina obſequia admouebis, modicis armis & diſciplina, exercitatos. Ea ratione parentes obſidum periculo in officio continebis. Habes Garamantem conſilio manuque promptum, eo meliorem, quod in te ſolo ſpes ſuas conſtituit, vteris & mea opera, nuſquam abero,

 nec

nec te victore res meas deploratas eſſe arbitrabor.

XCIV. *Caſſena capitur.* Conſilio Abiſsini rex paret, bellum properatur, audito regem in caſtris eſſe, nobilitas vniuerſa concurrit, nondum paratis Nigritanis quadraginta paſſuum millia, in hoſticum progreſsi caſtra metantur, anguſta itinerum munitionibus occupant: paulo poſt adeſt Tombutus rex Nigritarum, nobilis vrbis conditor, caſtris opportuniſsimum locum Garamas oſtenderat. Abiſsinus veſte ſeruili, equo Numidico inſidens, ſpeculatus hoſtium copias, cum rediret, in procubitores incidit, ſed amnem natatu tranans, non auſis ſequi hoſtibus, euaſit. temerarium plane, nec dignum tanto faſtigio periculum, ſed amico induſtriam probare voluit. mox auctor Halibocchо fuit, vt acie decerneret, hoſte feſſo, languentique, ergo prima luce haud procul hoſtium caſtris exercitus in acie ſtetit. miſsique qui ad prœlium prouocarent. Tombutus, ſuo ſe conſilio, & tempore prœliaturum reſpondit: ſignum tamen pugnæ propoſuit, tuba canere, & clamorem belli miſit, ſimul miſsis per manipulos nuncijs corpora curare, & quieſcere imperauit, portam prætoriam equite quaſi iam iamque exiturus impleuit, hoc ſpectabat, vt Garamantas quos ſub dio ſtantes æſtus torrebat, recedentes inuaderet, Abiſsinus hoc ipſum veritus mature ſuos reduci ſuadet, equitum fortiſsimis terga claudentibus. Noctu miſsi in ſyluam calones, ſeruitia, multique militum, vt frondes cæderent, quibus in caſtra redeuntibus ad hoſtem ſilentio itur, cæſis fugatiſque procubitoribus, magna celeritate caſtra communiunt, frondes depangunt, tentoria erigunt, adiuuit opportuna pluuia. mirum in modum territus hoſtis nouam ſyluam, fœtam armatis conſpicatus, dolum aut maius aliquid verebantur, inopinata turbant, etiam vana. Garamantes varijs locis caſtris aggrediuntur, iterumque ſub vmbras ſuas recurrunt. Interea Halibocchus Garamantem cum viginti millibus, & equitatus parte Caſſenam, quæ etiam hodie nobile em-

le emporium eſt, mittitur, aberat illa ducentis paſſuum millibus, ſecura & incuſtodita. Grauis illa & pene temeraria erat expeditio. Tranſeunda ſolitudo itinere quatridui, in qua aquarum, pabulique inopia ſumma, aſpidum, dipſadum aliorum venenatorum ingens multitudo, halitu quoque non modo morſu exitiabilium, quibus decem dierum ferre cibaria iuſſerat, vtres alioque temperandæ ſiti, pro equis hordeum aqua maceratum bouin tergoribus incluſerat, fugandis anguibus, ibides & ciconiæ alis præciſis ducebantur, fraxineis frondibus humum miles verrebat, noctu locum ignibus purgabant, galbanum ac cornua vrebant, quæ ipſis ſerpentibus venena ſunt. Illo diſcrimine perfunctis haud minor ex hoſte metus, nam Tombutus velut indagine cingere poterat, & concurrentibus vndique accolis trucidare. Hinc præcipua cura in cælanda profectione, vexilla hoſtilia præferebant, noctibus iter faciebant, ſine mora, vt in amico ſolo, viatores obuios detinebant, arctatis ordinibus ibant, ne magni agminis ſpeciem ex longinquo præberent, cum viginti paſſuum millibus Caſſena abeſſent, obuium habent magnum hominum, iumentorumque numerum, quibus arma, apparatus, veſtis in caſtra vehebantur, ſine præſidio militari, quod longe hoſtium caſtra abeſſent, & Tombutus intermedius, hos facile in poteſtatem redigunt, curſuque Caſſenam feruntur, at fama quamuis feſtinantes anteuertit: qui effugerant eo delati nunciant, Æthiopum omnes adeſſe copias, vnde coniiciebant, Tombutum internecione deletum, quod pro certo mox alij narrabant: nam in metu velox eſt famæ augmentum. Et conſternati ad credendam triſtia promptiores fuit, igitur ciues auerſa porta ſe effundunt, quiſque ſecum mœrentes, liberos, maxima pars opes trahit. Garimas humanitate victoriam temperauit, volentes abire permittit,

nobiles diuites, fida cuſtodia continet, habiturus vel ſalutis obſides, vel parta victoria pecuniam accepturus.

XCV. *Trepidatum in caſtris vtrijq́.* Dum iſta Garamas fortiter, prudenterq́; gerit, Halibocchus Tombuti caſtra oppugnat, nulla capiundi ſpe, à cogitatione Garamantis auertere regem, neue minuere caſtra auderet, moliebatur: quamuis exigua dãna inferret, & paria crebro caperet, vigilia tamen nocturnâ, & diurnis æſtibus affligabantur, vtrumque accurate caſtrorum munitione, & frondibus vitabant Garamantes, excubijs pauci ſufficiebant. Porro Garamantis profectio Tombutum adeo latuit, vt poſtridie, quã regnum ingreſſum nunciaretur, de Caſſenâ capta audiret, ea res ingentem in caſtris trepidationem, tumultumque conciuit, direptis principum tentorijs fuga ſe proripuiſſent, ni metus ex hoſte obſtitiſſet. Tombutus ſparſa fama Garamantem captum, itinera obſidericurat, ne nuncij adferantur, dein miſſo ad Halibocchum caduceatore quærit, Saluumne Garamantem pecunia redimere, an mori malit, reſponſum: Salutem tanti ducis probe tutam fore, ſuæ rex ipſe conſuleret: nec exiguus tamen metus erat, quamuis diſsimularetur, maxime nobilium laboris inſuetorum ſe timor prodebat. Virum fortem temere in pericula coniectum, iuuentutem præſtantiſsimam lanienæ deſtinatam. Abiſsinus læto vultu, mente anxia ſpem retinebat, non potuiſſe capi ſocios, vbi nullus exercitus, nulla pugna, Tombutum falſo rumore ſe tueri, non eſſe virorum mendaciolis frangi. Tombutus militem hortari ad hoſtium oppugnanda caſtra, quod robur exercitus abeſſe diceret, & falſæ victoriæ fides animorum alacritatem intenderat. Non eadem in Halibocchianis pugnandi voluntas, non vigor, ſociorum cladem ex hoſtium audacia coniectabant, ne odium quidem contra duces conceptũ cælabant, ſibi eadem fata augurabantur. ne in apertam ſeditionem erumperent querelæ, Abiſsini comitate atque induſtria perfectum eſt. Vbique ipſe aderat vitæ

con-

contemptor, hoſti formidabilis: ſummum nefas arbitrabatur, ſi caſtra aggredi hoſtis auderet, itaq; quã initium oppugnandi fore rebatur, cum promptiſsimus erumpit, cunctante ſignifero, vexillum ipſe arripit, ſcutoque inuolutum præfert, atque in hoſtem fertur, ſequuntur pudore cœteri, quaſi ducis robore animati, ſignifer contumelia erepti ſigni, & ſupplicij atrocis formidine amens, ingenti gladio quem validus vibrabat vtraq; manu in medios Nigritas incurrit, ſuæque ſalutis incurius ſtragem vtrinque dabat, ea violentia repulſi in caſtra rediere. Tum Abiſsinus ſigniferum profectum procul à ſuis inter hoſtium agmina primum intuetur, aurato cæſi tribuni ſcuto innixum, regem autem orabat, vt aut vexillum redderet, aut ſe ſolum in valla hoſtilia aſcenſurũ, facileq; mortem inuenturum. orabant & commilitones, vt virtuti redderet, quod ignauiæ abſtuliſſet. Rex non ignarus exiguis rebus animos conciliari, & res maximas geri, laudatum in gratiam recepit, præciſiſque ex ipſo ſigno tænijs vulnus obligauit, quod factum homines ad regiam ſuperbiam, atque aſpera imperia inſuetos, atque artium popularium inſcios adeo deuinxit, vt eos qui male de Abiſsino locuti fuerant, ad ſuppliciũ depoſcerent, alij abſolutũ belli imperiũ ipſi deferri, Halibocchũ redire domũ iuberent. Ita vulgus inconditũ & iraſcẽdo & fauendo peregrinũ grauabat. Ad iſta namq; Halibocchus excanduit, impalluit Abiſsinus, quã tamen erat prudẽtia periculũ auertit: nactus enim ſecretũ, regẽ ſuſpicacẽ facile pacauit. Vocẽ populi, inquit, contẽne, nõ poteſt nõ eſſe varia. Vin' melior me bellator videri? ſigniferũ menſæ tuæ admoue. Videri vis dignior me, qui imperes? vulneratos duces & cẽturiones viſe, militibus ſaucijs dapes de mẽſa tua mitte. Comitas facilis atq; obuia virtus, heroica facta exæquat. Rex ſecutus conſiliũ à ſuis æſtimari cœpit, & amari. Abiſsinus maiore deinceps ſtudio vulgi plauſum vitabat, rẽ inanẽ, ſed veræ inuidiæ ac diſcriminis causã. Non ignorabat principes tã bonis, quam malis, ſi conſpectiora ſint, meritis offendi.

XCVI. *Pax inter reges.*

Nox vtrique exercitui per metum, atque ſilentium acta eſt. Tombutum ſollicitũ habebat Garamantis ſucceſſus, multorũq; in regno defectionẽ verebatur, quare ad eũ opprimendũ celeritate opus iudicabat, iter bidui per plana erat, dein montiũ ardui, anguſtiq; tramites, eos ne attingere poſſet, metus erat, ceterũ enim inhæſurum Halibocchũ nõ dubitabat, in plano ſibi pugnã iniquã iudicabat, valido hoſtiũ equitatu: ante lucẽ igitur impedimenta & grauẽ armaturã proficiſci iubet, equitũ partẽ pedeſtri prelio caſtris oppugnãdis exercet, donec ferueſcẽte die ſẽſim reduxit, atq; dimiſit, iãq; mille ſolũ equites, totidẽq; cameli in caſtris erãt, quibus cornicines, & æneatores inſidebãt, hi cũ equites proficiſcerẽtur, claſſicũ canebant, ac tandẽ precipiti fuga ſe proripuêre. At in caſtris Halibocchi maiores turbę, periſſe cum ſuis copijs Garamantẽ ducẽ quaſi pro cõperto habebant: nec enim ſine cauſa hoſtem ferocire. Rex ipſe inter aulea & ſymphoniã ad ſenectam pene prouectus laborũ, & periculorũ horrens, deliciarum abſentiam non ferebat. decretum igitur in conſilio, vt nunciũ à Garamante duos tãtum dies opperirentur, deinde retro cederent. ita in humanis inſolenter fortuna ludit, pene etenim bina caſtra regum potentium panico terrore ſe mutuo fugerant. At nunc Halibocchus audita Tombuti fuga, & fraudem ſuſpectans toto exercitu inſequitur, tuta erat in timidos fugaceſque audaciæ oſtentatio, Nigritæ occupatis anguſtijs maiorem exercitum, partem contra Garamantem miſerunt. Abiſsini conſilium erat montium aditus tentare, ſi qua perrumpere poſſet, nam amici periculo mouebatur, quem periturum, niſi celeri ſuccurſu iuuaretur, præuidebat, iamque duce venatore, dum velitationibus reges diſtinentur, militum quidam in cacumina perreptauerant, deinde per funes delapſi in alios atque alios vertices enitebantur, quædam abrupta cæſis arboribus ponte iunxerant. iſta ingenio regis iam olim militiam edocti agebantur. nec ſenſerat hoſtis, quod ſolis volucribus monſtroſos ſcopulos puta-

putaret peruios. maiore errore, cum nulla pene vrbs aut caſtrum ſit, quæ non aditus occultos, aut incuſtoditos habeat, nedum montium valliumque tractus. Nigritæ crebros in arduis ignes conſpicati, primum cœleſtes arbitrati ſunt, quales arida pinguiſque materias à ſole ſubuecta alere conſueuit. At iidem in ſaxis cum trucem clamorem, tympana, tubaſque claſsicum ſonantes audirent, inopinato terrore perculſi, parum abfuit, quin anguſtias & præſidia ſua desererent. Garamantes magicis artibus in prærupta iuga euaſiſſe perſuaſi, ſane Tombutus de pace legatos miſit, res lætiſsima Abiſsino, inter reges enim late imperantes diuturnum bellum, & anceps fore conijciebat, proinde ſibi nulla auxilia ſperanda, pace conciliata vtrunque ſibi obnoxium fore credebat. Haliboccbus quoque pacem optabat, cum vero vterque bellum odiſſent, alter fuga, alter decreto fugæ metum prodidiſſet, nunc de conditionibus quiſque ſuæ dignitatis retinens diſceptabat. ita maxime reges aliud agunt, aliud volunt. nec ſuo cuiquam voto viuere permiſſum eſt, qui Martis aleæ fortunas ſuas ſubiecit. Vecors deinde, atque acerba contentio pacem in dies quindenos diſtulit. De conditionibus conuenerat, de ordine nominum fœderi ſubſcribendorum ſuperba lis tenebat. Omne enim barbarum etiam arrogans eſt. Interim & agri vaſtabantur, & miles pugna morbiſq; minuebatur. Tandem conuentum, vt Guinea Tombuti filia, quæ deſponſa erat Haliboccho (prior coniux fato ceſſerat) leges fœderis ſcriberet, ſuoque iudicio ac voluntate, aut parentis, aut ſponſi nomen præponeret, poſtponeretue, neque hoc in poſterum cuiquam eſſet præiudicio. Hoc ludibrio regij faſtus controuerſiam Abiſsinus compoſuit nec virgini defuit ad temperaturam ambitionis ingenium. Media vaſtaque planitie inter vtramque aciem ſponſa ſublimi in ſolio locatur, adferuntur vtrinque conditiones eiſdem ſcriptæ verbis, niſi quod quæque gens ſuum regem priore loco

nominarat. Proceres in ipſo pacis momento pro ſe quiſque virginem hortabantur, hi, meminiſſet patris à quo vitam & iam regium connubium haberet, cuius honor diuinâ lege non ſine præmio liberis commendetur. Illi, ne iudicio ſuo maritum, in cuius manum ventura eſſet, offenderet, ne ab eius contemptu coniugium inchoaret, ne futuræ prolis maieſtati mater obeſſe vellet. Illa deiectis in terram oculis, vultuque ardentiore, (quod in nigra facie pro colore verecundiæ virtutem commendat) paucis reſpondit. Regum maieſtatem puella arbitra, nec augeri, nec minui. Rogare vtroſque, vt omiſſo vano certamine, populorum bellis attritorum ſalutem habeant cordi. Leges fœderis adſcribam, & ſapientiſſimæ virginis moderationem: præſertim cum eodem malo nunc Europa laboret, in qua ſæpe res maximæ negliguntur, aut noxia mora corrumpuntur, cum vanis ineptijs, quaſi ſeria tractentur, inter ſapientes, rerumque gnaros luditur, quin & libri ludicris cærimonijs implentur, ne deſit poſteris quod aut ſapientiores rideant, aut ridicule imitentur. Sed ad leges redeo. Earum prima erat. Pax æterna inter Tombutum & Halibocchum reges, eorumque hæredes eſto. Hunc in modum pronunciata, lectaque, in leges legati vtrimque iurabant, alacres Nigritæ, cum indignatione Garamantes, regem ſuum læſum rati.

Altera. Prouincias occupatas reddet Tombuto regi rex Halibocchus. Tum Garamantes ira accenſi, iurandum recuſarunt, quod ne alternis quidem regem ſuum præponi viderent. Nec id tamen honore regis, ſed ne in aſſerenda domini ſui dignitate parum fuiſſe diligentes viderentur, aut ceſsiſſe Nigritis. Sæpe principum vtilitas concordiam pacemque exigit, ſed eam miniſtri obſequij & prudentiæ oſtentandæ, aut placendi ſtudio morantur. At Guinea recuſantes ſeuere increpat: ſibi ius ſcribendi fœderis à regibus conceſſum, non poſſe à regum ſeruis auferri. Iniurios eſſe in regis filiam, regis ſponſam, ipſoſq; reges, qui omniũ decreto re-

repugnent. ergò iurarunt, ipſa reprehenſione læti, & apud regem excuſatiores futuri.

Tertia lex erat. Garamantem ducem cum exercitu ſine noxa dimittat rex Tombutus regi Haliboccho.

Quarta. Iunctis viribus rex Tombutus, & rex Halibocchus Abiſsinum reſtituent.

Quinta. Guineam filiam coniugem, & prouinciam vſque ad montes in dotem dabit rex Tombutus regi Haliboccho. Mox medio in campo matrimonium contractum eſt, & Garamantum regina ſalutata virgo, datoque ſigno, cantu, plauſuque vtraque caſtra perſonuêre. Deinde facto ſilentio cœteras pacis leges pronunciat Guinea.

Sexta lex. Captiuos abſq; precio dimittent rex Halibocchus & rex Tombutus.

Septima lex. Negociatoribus libera commercia ſunto in regno Halibocchi & Tombuti regum.

Octaua. Si lis in poſterum inter Halibocchum & Tombutum reges oriatur, eas arbitri vtrinque lecti iudicabunt.

Nona. Controuerſiam de finibus inter Halibocchũ & Tombutum reges componet Abiſsinus.

Decima. Fœderati & amici Halibocchi & Tombuti regum, vtriuſque amicitia fruantur.

Rogata Guinea, cur primò parentem, deinde maritũ antepoſuiſſet, cauſam reddidit. Non eſſe eam ſibi intelligentiæ vim, vt controuerſiam, quam maximorum regum ſapientes conſiliarij finire non potuerint, iudicare valeret. Principio ſe primas parenti dediſſe, quod in eius eſſet poteſtate, nec toto orbe habuiſſe, cui plus amoris aut reuerentiæ deberet. At matrimonio iam contracto iam ſe veniſſe in poteſtate mariti, eum honoraſſe, quem ſibi dominum eſſe pater voluiſſet, priores fœderis partes eſſe filiæ, poſteriores coniugis. Nunc vnicam ſibi relictam eſſe gloriam, vt colendo patrem coniugemque, amicitiæ inter ſocerum generumque pignus ſit, & vinculum, & populorum ſaluti conſulat. Rogare vtrunq;

regem, ne leuibus cauſis arma ſumant, & grauibus agitata citò ponant. Nunquam callidiorum ingenijs lites committant, exaſperandis illi diſcordijs, quàm ſedandis aptiores ſunt, augendis contentionibus ſapientiæ opinionem & fauorem principum aucupantur, publicas clades pro minimo ducunt.

XCVII. *Abiſſinus deſeritur & periclitatur.* Ardebat Tombutus videre generum, & coram agere, nec alienus erat Halibocchus, diſſuadebat Abiſsinus. Non facilè magnorum regum colloquia ſine offenſione peragi, cærimonias ipſas minutè operoſas, verba omnia ad libellam expendenda, neque tamen vlla cautione fieri, ne ſuſpicionem gignant. iam in corporis ſtatura, vultu, greſſu, habitu eſſe aliquid quod carpatur. Comitatum & miniſtros conferri. Nec poſſe ſermones vitari vtrumque regem ex propinquo comparantium, materiē turbarum. atq; ita ſine colloquio firmata pax, impletæ conditiones, Halibocchus victorem ſe ferebat accepta ſponſa, prolato imperio. Tombutus ſuperiorem ſe iactabat, quod reddere occupata hoſtem coegiſſet, filiamq; in vacuam regiam elocaſſet, nepotes reges parituram. neq; amiſiſſe ſe, quod filio donaſſet. De reducendo Abiſsino ſetè conſultatum, actum frigide. Nigritæ ſe læſos arbitrabātur, quod pro Garamantibus pugnaſſent, ſi reducerētur in regnum, ſibi inane beneficij nomen, & gratias non ex animo, vim amicitiæ penes Halibocchum fore: at nec ille vrgebat inſita deſidia. orta [illegible] diſceptatio, nam rebus magnis facilè obſtaculum [illegible]tur. Quonam è regno belli dux legeretur, inquirebant, cumq; rex ipſe Abiſsinus, ſupremus belli arbiter deſignatus eſſet, vltrò gliſcebat ambitio, vtra ex gente ſecundus à rege accipiendus, quis dextrum, quis ſiniſtrum latus ſtiparet. nec munera erant Abiſsino, quæ petentibus daret: ipſius fortitudo, prudentia, cætera ornamenta oberant, & potentia, ſi reſtitueretur, vtriſque formidini. atque in hunc modum affecti reges erant, vt Abiſsinum in exilio æuum agitare mallent, quàm alteri eſſe amiciorem. Garamas rem ſentiens impeditam, & re-

reges officia ſuis vtilitatibus metiri, precio Maroccum inducit, Tombuti rectorem, (omnia eius conſilio, plurima perperam rex agebat) vt alteram filiam in matrimonium promitteret, ſoluſque Abiſsinum reduceret, addidit muneribus rex ingentia promiſſa. Verùm & hoc conſilium pene exitio fuit. Nihil grauius Haliboccho, quàm illa affinitas. Non deerant, qui in vincula hoſpitem conijciendum ſuadebant, quod vbi ex conſanguineo Garamas didicit, noctu profugiunt, longis ambagibus & occultis itineribus inſequentes fruſtrati. Tombutus profugos blande excepit, filiam negauit, nec rationes deerant, quibus doceret fidem rectè exulibus frangi, nolle filiam nubere exuli prætendebat, ſe patrem eſſe, in ſuos lenem, filiam in alias ſpes natam, hæc palam, ſecreta cauſa erat ex Halibocco timor, intentante bellum, ſi peregrini & inimici nuptias admitteret: ſtultum ergò iudicabat longinquo bello implicari, ſimul domeſticum accerſere, quorum illud difficillimè, ingentibuſque expenſis geratur, hoc intra viſcera ſæuiat. Hac etiam ſpe deiectus Abiſsinus, in Deum ſolum incumbebat, ab eo ſolo pendebat, auxilia regum incerta, fidem lubricam expertus, pertæſus quoque alienum faſtum nauigia parat, quocunque modo ad ſuos rediturus: inaudierat nempè ſeſe à multis deſiderari, regnum diſſenſionibus laborare, ciuili bello lacerari, labare tyrannorum potentiam per iniurias quæſitam.

Hactenus Abiſsini caſus expoſui, nunc in Aethiopiam reuerſus, tyrannorum imperia, certamina, interitum exequar, reditumque Abiſsini, quem cunctis ſucceſſorum vitia deſiderabilem fecerunt. Rege namque exulante, ſenſim in deterius regnum prolabebatur, minus vnius vitia cum ſumma poteſtate, quàm plurium nocuerant. Monarchiam in diuerſas partiti prouincias pauci occuparunt, qui exemplum recens veriti, modeſtius agebãt, poteſtatem malè partã virtute & iuſtitia XCVII. *Initia regnorum mitia.*

ſtitia retinere conati. Nouitas regni alibi virtutem, in pleriſque proximas virtutum ſpecies induxerat, ergò iniuriæ ſublatæ, bonæ leges reductæ, ius æqualiter dictum, annona plebi largiter præbita, maximum delinimentum, atque ad firmamentum noui imperij efficax. Benè paſtus populus torpet, cœterorum incurius præbitorem ſaluum optat. Neruus ærario quæſitus bonis artibus, præcipuè parſimonia, nec graue erat educatis ritu ciuium ſub alieno imperio regios ſumptus moderari,& proximam priuatis vitam agere, populares eſſe, qui de populo fuerant, militum licentiam coercere, quam priuati oderant. Regij præfecti Hananus Arabiá, Canorinus Manicongum tenebant, fugato rege, primú coacti diadema ſumpſerant, ſponte retinebant, ſiue lubido dominandi etiam optimorum mentes ſubuerterat, ſiue ne locus eſſet deterioribus. Cœterum iuſtitiæ tenaces, & amore ſubiectorum tuti. Madagaſcarem regnabat Alphæus, maritima potentia incolas oppreſſerat, deinde nauigationibus & ſpolijs ditabat, atque ita volentibus imperabat. Huic proximus erat Zembreus, omnium potentiſsimus Hafranes, cui Megadaza, Quiloa, Melimde, & finitima ad mare rubrum vſque parebant. ad Nilum Etanus, vicina Aegypto Deltotus poſſidebat; ſeptem pro vno reges, pacem colebant mutuo metu, reditum Abiſsini formidabant. Legatos Megadazam mittunt firmandæ dominationi, & mutuis auxilijs.

XCIX. *Comitia tyrannorum & fœdus.* Verùm nulla pax tyrannis, nulla tranquillitas turbulentis, inſidias aut ſtruunt, aut reformidant. comitia paci ſacrata, diſcordiarum bellorumque ſeminaria fuere. cum enim ſuis quiſque commodis ac dignitati conſultum vellet, mentes aperuère, inde ortæ ſuſpiciones, odia, iniuriæ, bella. quos timor ad tempus fœderatos eſſe coegit, ſecuritas fecit æmulos. Nuſquam fida ſunt fœdera, vbi diuerſum ſocijs expedit, vbi clades alterius commodo eſt, alteri, & commodum cladi. Hafranes regiæ vrbis dominus primatum ſibi vendicabat; cui conſen-

ſenſu repugnatum, inuidiâ potentiæ, odio ſuperbiæ. Zẽbræus poſtulabat, vt ſibi claſsis Alphæi ſubderetur, hic in continente portum, & coralliorum piſcatus ſibi ſoli flagitabat. Etanus ſuam infirmam prouinciam querebatur, atque ad ſubigendos Nubios auxilia poſtulabat, id cœteri auerſabantur omnium incrementis infeſti. Deltoti iuſtior viſa oratio, ab omnibus ſtipendia poſcebat, ob Romanam vicinitatem: periculum enim eſſe, ne occaſione factionum extrema aggrederentur, illis occupatis ad interiora gradum facerent: quin etiam Abiſsinum eorum viribus reditum parare; nihil tamen obtentum in ſuam rem intentis omnibus, aliena negligentibus. Diſcordes, varieque contendentes Canorini legatus cohibuit. Ceramune, inquit, diſcrimen ex æquo impendet omnibus: Si enim Abiſsinus auxilio regum, aut ſua induſtria regni partem occuparit, magnos animorum motus ciebit, magnæ fortunæ generiſque calamitas facilè miſerationem inuenit, auxiliaque. Vicini regnum partitione debilitatum tuto aggredientur: maius à domeſticis malum, multi quibus reges noui imperant, genere, ingenio, vigilantia, robore ipſos ſuperant, ante etiam dignitate opibuſque ſupra eos eminebant. Modum viamque creſcendi à noſtris didicerunt, poſſunt contra nos abuti exemplis noſtris. Cunctis eſt vtilis concordia, nouis regnis neceſſaria. Hanc ſi rumpimus, pereundum eſt. Nondum benè coalita cuiuis diſcindere promptum eſt, diſſoluta ſeruare arduum. Mihi à rege Canorino mandatum eſt omnibus cedere, vni omnium concordiæ ſtudere. At verò nulla inter reges vicinos liberoſque eſſe concordia poteſt, niſi in iuris & honoris paritate, & vt ſuis quiſque finibus contentus regnet. Quiſquis ſupra alios eminere nititur, æmulos; quiſquis alios ſubijcere conatur, inimicos facit. Hinc excidia morteſque. quá inuitus paret, quaſi ex mala manſione etiam cum imperantis exitio, quærit exitum. Inſatiabilis eſt fames ambitionis, è ſeruis in libertatem aſſerti ſumus, reges

noſtri ex humili in ſublime ſolium conſcenderunt, mox vt emineant, collegas premere conantur. Regnare iam pudet, niſi vicinis regibus imperent. at æquum quiſq; putat, ſummo ſemet ſtare loco. Non accuſo generoſos animorum impetus, modò intra rationis & æquitatis gyrum ferantur: ſi deflectant ab orbita præcipitium in proximo eſt. Hic inter ſupremum apicem & triſte profundum nullum eſt medium, ſi eò tendimus, modeſtia ſpernendo faſtigium, vitat ruinam. Superbiæ nunquam deeſt prætextus, modeſtiæ velo obnupta in cauſas ingenioſa eſt. Si vnum apicem omnes prendimus, omnes periclitari neceſſe eſt, vnus aut nullus tenebit, cœteri excident. Sic igitur cenſeo, omnibus ad omnes eſſe fœdus amicitiam, nulli in alium imperium. Præſidem comitiorum, ſedendi, ſubſcribendi, ſententiæ dicendæ ordinem ſortitione conſtituendum. Si quis ab alio ſe læſum queratur, iure non armis diſceptandum. Si quis vicino bellum inferat, omnium armis compeſcendum. Si bellum externum ingruat, eum ducem eſſe, cuius in prouincia id geritur.

C. *Noua fœdera & affinitates.* Honeſta pacis ratio, & æquum fœdus, quod etiam diuturnum eſſe poterat, ſi numen malis factis ſubſcriberet, ſi inter legitimos eſſet reges, ſi regum cupidines legum habenas audirent. Hanaus regno liberiſque potens, augere & firmare decus cogitabat, eoque fortius promouebat, quò magis nolle videbatur, cœteris validior, vetus ſanctitas, prudentiaque auctoritatem tuebatur, durabat fama virtutum, etiam poſtquam in vitia præcipitarat. Hic præuiſa regum diſcordia, retinendæ dominationis anxius, reconciliationem cum Canorino atque affinitatem ambiebat, quamuis enim longiſſimè diſtarent, claſſe tamen vterque valebat, viresque iungere poterant, cœteris formidabiles. Harembalem ergò filium ad Canorinum legat, fœderis, & filiæ petendæ cauſâ. non abnuit Manicongia-

gianus, memoriâ veteris offenſæ valentior erat regnandi lubido. Non ignorabat, ſi Abiſsinus bellum moueret, ſibi primos impetus excipiendos eſſe. Hinc graues ortæ ſuſpiciones, cæteris eam coniunctionem non affinitatem, ſed conſpirationem interpretantibus. Facile ſe parentes purgabant, liberis ſuis ius coniugij permiſiſſe, regnante Abiſſino iam nuptiarum pacta rata fuiſſe. non poſſe ſua iura negari filijs, regum inimicitias nunquam honeſtius, quam nuptijs finiri. Harembal vehemens animi in conſilio legatorum cauſam ſuam aſperius egit. De meo facto inique parens poſtulatur, quod amore à me factum eſt, reipublicæ detrimento eſſe volunt. Agite tabulas frango, ſponſam ſuas ſibi res habere iubebo, ſi communi bono mea vota obſtare videntur. At tamen quam mihi dabitis vxorem? an regum filios æternum cœlibes eſſe æquum cenſetis? An tantummodò ancillarum maritos? An non licebit filias regum elocare regibus? an cunctis legem illam edicitis? An mihi ſoli, & quo meo merito? mutua regum amicitia quæritur, vincula amoris, affinitates negantur. Verum agite vt lubet, parentem optimum meo amori ne miſcete. Ego vel vxorem amiſero, vel regnum fratribus ceſſero. audientes pudor patefactæ inuidiæ inceſsit. mox alij eadem via ſibi conſulunt, Zembræus & Hafranes liberos matrimonio iungunt, ſimul Etanus & Deltotus. Alphæus ſolus extra fœdera agebat, quod primo ſollicitudinem iniecit, deinde ſuperbia auxit. quandiu deſertum ſe arbitratus eſt, omnia ad defenſionem parauit, animos ciuium comitate, largitate, iuſtitia deuinxit, poſtquam vero amicitiam ſuam magnis promiſsis ambiri animaduertit, ſeque non leue momentum partibus additurum, omnes colebat, ſed in aperto erant obſequia, ipſe clam deliberabat, cui ſeſe iungeret.

Nec

CI. *Bellum inter tyrannos incipit.*

Nec diu tamen extra partes eſſe potuit,nec ſuo arbitrio amicos legere.Hafranes & Zembræus inter nuptialia ſacra paciſcuntur, vt Madagaſcarem communibus armis,deinde Etani regnum occupent,diuidantque.nemo præter reges,& ſponſam conſcius erat,paratur claſſis Indicæ nauigationis prætextu, vtque res magis lateret ad ſocietatem Alphæus inuitatur. Tota ſpes in celeritate ſita erat, niſi enim præoccupaſſent,Alphæo ab omnibus ventura auxilia nouerant. Verum rara arcanis regum fides.Sponſus nouæ nuptæ inter blanditias conſilia parentum detegit,eburna &corallina cubicula pollicitus capta Madagaſcare.nec fœmina ſecretum habet, quod tacere vir non potuit, nutrici rem exponit, illa in Alphæi penatibus educata , etiam poſtquam domum mutarat, beneuolentiam erga priorem dominum retinebat,ad legatum Alphæi omnia defert.mox indicatur Hanano & Canorino , qui grauiter bellum parant , eo felicius,quod latebant.Hananus timere ſe Perſas fingebat. Canorinus profectionem in occidentem ad inſulas fortunatas ſimulabat , Alphæus ſocietatem Indicæ nauigationis amplecti præ ſe ferebat. Omnibus vna cura, vt in alieno procul domo bella gererent , nam belli ſedes,etſi feliciſsimi,ſemper in luctu eſt. vt beluę virulentæ, tam moriendo quam occidendo exitioſæ ſunt, & ne nitima venenant, cum necantur , ſic bellum,quo nullus anguis peſtilentior eſt,proxima corripit , atque inficit. Atque ingenijs hominum iſta tractabantur , in fatis erat,vt bello per prouincias male partas circumacto tyranni excuterentur , legitimi regis imperium rediret. Omnium conſulta fraudeſque in irritum cecidere,labor & conatus occulto cœleſtis prouidentiæ filo in finem, quem numina ſtatuere,ducebantur. Primos belli pœnitentia cepit, qui primi arma ſumpſerant, ſed fera Quiloa Hafrani parebat, ſponte, nec præſidio tenebatur, arcem in portu extruere , & omnia milite firmare rex ſtatuerat,hoc quoque Alphæi legato nutrix aperuit,ille domum rediens,dum Quiloæ ventos exſpectat,primores

res de regis propoſito admonuit, hortaturque ne frenũ accipiant, ſui regis auxilia promittit. non multo poſt Hafranes maris præfectũ mittit, quaſi ſupplementa claſſi adducturum, reuera, vt incautæ vrbi præſidium imponeret, ſenatus portas occludit, ciues acceptis ab Alphæo auxilijs deſciſcunt. Hafranes detrimẽto augebatur, dolebatq; propoſitum tardari, iuſtam belli cauſam oblatam gaudebat viribus confiſus, auxilia tamen à regibus ex fœdere contra Alphæũ poſcebat. Ergo Hananus, Canorinus, Etanus maximos exercitus cogere, legatos ad Alphæũ, & Quiloanos mittere, publice de pace, priuatim de bello gerendo acturos. ita maximi apparatus, quos fieri pro ſe Hafranes arbitrabatur, in eius exitium accelerabantur.

Caſtra haud procul Quiloa Haſtanes, & Zembræus habebant, & fœderatorum copias exſpectabant, cum re ipſa patuit mala cõſilia in auctores recidiſſe, ſeq; ſuis artibus irretitos. Canorinus enim & Alphæus Zanziberin terra mariq;, Hananus & Etanus Hafranis regnũ populabantur, ex fictis amicis derepente hoſtes. Quare Zembræus continuo domũ receſsit, ſuas res alienis potiores ratus, nec tamen Hafrani conſilium, aut fiducia ceſsit. Quiloæ non veniam modo, ſed libertatem, immunitatẽ, vicina caſtella donauit, magno potentiæ. & auctoritatis damno. Tantũ audaciæ præmium Melindenſes excitauit, libertatem, vectigalia, finitima oppida vltro ripuêre, hoſti ſe iũcturos minati, ni omnia rex firmaret. Filius regis iuuenis ferox vltionem meditabatur, eũ pater inhibuit, præſtabilius eſſe, parte regni mulctari, quã ſolio deturbari. Liberas vrbes ſumptu, viriſq; adiuuare: non [illegible] m illis aſsidendum, dum regnum hoſtis occupet. Subditos qui vi ad imperata coguntur exhaurire potentiam regnantium, amicos voluntarios ſemper vtiles eſſe. Ad Quiloæ defectionem Madagaſcareus furenter excanduit: ſe libertatis auctorem ſperni, oppreſſorem anteferri. At illi tutius rati potentioris & vicinioris beneficio frui, bellumque præſens auertere, querelas abſentis negli-

CII. *Defectio Quiloa.*

CIII. *Vincitur Hananus.* negligebant. Nihil ſanè vſitatius, quam vetera beneficia præſentibus emolumentis aboleri. Rebus pro neceſsitate compoſitis, Hanano, atque Etano obuiam proficiſcitur, omnibus inferior, minor erat exercitus, ipſe dux impar, niſi periculum neruos intenderat. hoſtium terror quoque caſtra impleuerat. iſta ſolerter in vſum ſuum vertit, arte contemptum ſui augebat, non ignarus ſic hoſtium induſtriam minui, victoriam amitti. Cladis quippe haud vanum augurium eſt ſpreuiſſe inimicos. Ad Giabelem opportuno loco caſtra ponit, adueniente Hanano quaſi territus in montem retro ceſsit, ferociter inſequentes ſubmouere vallo ſatis habuit. Poſtera die cum in acie ſtaret hoſtis, ſuos ipſe quoque ordinauit, dein miſsis legatis pacem rogauit, ita dimidium diei abſumptum, cum interim per ordines mitteret, qui cibaria potumq; ſuggereret, quo vegeti feſſis ac ſitibundis occurrerent. Pugnatum tres horas cruento prœlio, victoriæ initium ab elephantis cœpit, quos Arabum equitatui oppoſuerat. purpureo ille vultu ſigniſq; conſpiciebatur, ad eum colorem efferatę beluę ſeſe concitarunt, lateque ſtragem dederunt. Hæc in ſiniſtro cornu, nec melior alia in parte fortuna. Illic Hananus elephantos conſtituerat, validoſq; pugnatores, beluas Hafranes in ſuos retro egit, ſues ante aciem agi, deinde pice, reſina, naphtha oblitos accendi, quorum grunitu, tætroque odore offenſæ beſtiæ conuerſæque ſuos obtriuere. Ea die debellatum fuiſſet, niſi Hananus mediam aciem ſuſtinuiſſet, cæteriſq; auxilia miſiſſet, prœlium deinde imber & nox diremit. Maiores adhuc victis, quam victoribus vires erant, quodq; caput eſt, animi in vindictam accenſi. arte ſe pulſos fatebantur, non deeſſe ſuis ingenia, nec robur, ergo die inſequenti iterũ in aciem deſcendunt, ſubire diſcrimen Hafranes noluit, prouocantibus reſpõderi iuſsit, ſe tantum illo die pugnare, quo vinci illos ſit fatale. Interim fama plus quam victoria nocuit, per dromedarios enim quaquauerſum nuncios miſit, qui Hananum, atq; Etanum interneci one dele-

deletos ſpargerent, inſignia capta oſtentarent, purpureas Arabum ienas donarent, vrbes ſollicitarent, vel vt ſeſe dederent, vel in libertatem aſſererent.

Mirum cunctis viſum, Hananum vinci potuiſſe militiæ bonum, & huc uſque inuictum, verum magni duces diu felices crebro ingiorij moriuntur, neque iam eadem erat cauſa, à virtute deſcreſcentem felicitas quoque deſeruerat. Ad famam prœlij ſex potentiſsimæ vrbes Arabiæ & quidam limitibus propoſiti præfecti iugum excuſsere, infauſti, nec iuſti regis contemptu. Cur enim ſeruirent perdido profugoque ſeruo? Cœteri in ancipiti hærebant, ex fortuna imperantis conſilia capturi, vt vel in obſequio manerent, vel dominationem recuſarent. Bellum ergo incertos habebat exitus, priſtinæ virtuti nequaquam reſpondentes, quin poſſeſsiones longe poſitas, quietaſque commouerat. Hananus ſane etſi multa occupauerat, vrbium expugnationibus, felicibus velitationibus prœlij cladem correxerat, non tamen ad officium ſuos reducere poterat: Amor expertæ libertatis animos firmabat, & metus detinebat, vt neceſſaria conſilia iudicarent, quæ prius erant libera. alios quoque in fœdus illiciebant, quædam vrbium etſi in fide perſtare decreuiſſent, quia tamen ante deliberauerant, atque ita defeciſſe videbantur, & ſupplicíū meritæ, obſtinatò rebellabant, neceſsitate peruicaces. Tāto grauiores in Itani regno turbæ quanto minor in illo vigor, atq; auctoritas. Hairanis deterior cōditio, intra viſcera graſſabatur hoſtis, exercitus ipſius grauis erat prouinciæ, arma, commeatū, pecuniam imperabat ſpoliatis. Quiloa, Melinda, & regni caput Magadaza mutuum dabant, ſed pars regni oppignorabatur, hoſtes vero, quas captu difficiles ſentiebat, vrbes, liberas & fœderatas eſſe pronunciabant, quare coactus pacem petit, quam lubentes dederunt, quod res eorum domi labaſceret, & ipſum amiſsis vrbibus precario regnaturū conſtaret. Ipſe dum reparare vires, ærarium intempeſtiue explere feſtinat, quod integrum erat, concuſsit, alienauitq;, donec

CIV. *Hafranis interitus.*

à Tarbone, cuius fundum iniquo iudicio alteri addixerat, occiſus eſt, parricidium impune fuit, tanta lætitia in morte tyranni. Spolia collapſi regni, qui cæteris potentiores erant, diripiebant.

CV. *Tyrannorum exitus.* Arabiam rediens turbatam Hananus inuenit, vrbes multæ, præſideſq; cum Perſâ fœdus icerant, vindicemq; ſuæ libertatis arrogarant, non quod tuto illi libertas cõmitteretur, qui ſubiectos ſuperbo aſperoque dominatu domi premebat, ſed more regum vicinos debilitare cupientium infirmiores tutando diſcordias alebat. Hinc cum partem regni alienatam, alios pertæſos imperij, filios male concordes cerneret Hananus, de Abiſsino reducendo cogitare cœpit. Etenim triſtior caſus excepit, in tranſitu Nili ſuorum inſidijs appetitus cecidit. Alphæus cum Zembræo feliciter pugnauit, merſa, captaque claſſe. ſubijt & debitum ipſe Zembræus fatum, nam malleolo ex pice tactus, cum ſæuitiem ignis excutere nequiret, doloris impatientia ſe præcipitat in fluctus, mitigatoque incendio naui hoſticæ adnatat. haſtis repulſus, iaculiſq; confoſſus eſt, atque ita igne, aqua, ferro perijt incognitus. faciem ignis contuderat. Pœna illa veterum criminum fuit. Expertuſq; Deum eſſe tardum, non ſerum magnæ crudelitatis vltorem. Olim piraticam fecerat captos in mare deiectos, nanteſque ſagittis, quibus ignium alimenta illeuerat, ſua manu conficiebat, vt inter aduerſantium elementorum conflictus miſerabili exitu animas efflarent. regnum eius in partes ſciſſum eſt. Canorinus Manicongi regnum tenuit, bellator egregius, contra vim & fraudes inuictus, nulli regum impar, ſi bono iure ſceptra quæſiſſet. Illum domeſtica mala fregerant, orta inter duos filios rixa, litem duello cernunt, tertius qui ſe paci medium inferebat, incertum caſu, an deſtinato, interficitur, mox reliqui fratris inſontis ſanguine in furias acti, mutuis vulneribus cecidere. Pater triſti liberorum fato exanimatus, & regnum & vitam ſpernebat. Miſera in caligine mens humana luctatur, quaque extollere fortunam molitur, præcipitat,

tat, proſperitas ipſa credulis inſidiatur, & incautos læta ſubuertunt. Memorabat Canorinus quondam affines ſuos ex prouocatione depugnaſſe: ſeque multis lacrymis ab vxore rogatum, vt fratrum iras componeret, neglexiſſe, eorum morte lætatum, quod inde opimæ hæreditatis fructus ad ſe deueniret. Socrum mœrore mortuam, ſimilemque fortunam ſibi imprecatam, nunc à decrepito pœnas exigi, nunc regni, & tantarum opum nullium ſibi vſum ſupereſſe, delictorum tantummodo, quæ acquirendis, regendiſque admiſerit, reſtare ſupplicia. Manſit illi in poſterum perpes mœſtitia, miſſo nuncio Abiſsinum inuitabat.

Peſſum ibant omnia regna Aethiopiæ. Sincerum nihil, aut ſtabile, vt arcē, vrbemq́; quiſq; muniebat, ſatellitesſue ſibi circundederat: cruda imperia exercebat, vectigalibus inſuetis, raptu, latrocinio propinqua vexabat, legum nullus vſus, vi cuncta gerebantur, quippe vbi nullum in commune imperium priuatæ rei quiſq; ſtudebat: agricolæ profugiebant, nulla infeſtis vijs negociatio. Hinc in vrbibus ſumma egeſtas, nulla enim reſpub. ſibi ſufficiens eſt, omnes Deus eſſe voluit aliarū indigas, faciunt vero cupiditates vt ab exteris plurima petantur. Vrbium multæ nimia libertate ſeipſæ perdebant. populus leuis, imprudens, legum metu vacuus aſsiduè tumultuabatur. vitia ſua ferre non poterant, & remedia in lōginquo erant. Ea cauſa inter nobiles, & plebem pleriſq́; in vrbibus erant certamina. Quiloæ nobilitas dominabatur, ciues exarmarant, portum arcemque præſidio firmarant, leges fixerant, quibus plebs, ne emergere valeret, premeretur, qui ad conſilium magiſtratumque admittebantur, inimicos ſe plebi futuros iurabant, pecuniæ publicæ per luxum illudebant, nullis rationibus obnoxij, & affinitatibus mutuis deuincti ſibi indulgebant, ſi domum agrumue ciuium ſenator concupiuerat, miſerum infeſtabat, donec iniuriâ venalem faceret. Omnia ciuium prædia ſerua, ſenatorum erant libera. Plane vt pars ciuitatis à nobiliore depreſſa in

CVI. *Quiloa ſtatus Reipublica mutatur.*

in tenebris luctuque ſqualeret, cum igitur eo cogitationes, neruoſq; omnes intenderent, vt ciues plane perdomitos, & velut in nexu haberent, quo omnem ſpem libertatis inciderent, ipſa tam ſæua cautio auctores euertit, & vincula diſrupit. Etenim mediocria damna, & leuiores iniurias, etſi grauate fert populus, non tamen eorum cauſa periclitari ſolet, cum eouſque mala increuerint, vt nihil æquius ſperet, etiam nihil deſperat, aleamque iacit. vbi ſperandi argumenta defecerunt, à deſperatione, temeritate, ira impetum capiunt, quo licet res ſuas raro promoueant, aduerſarios tamen plerunque proruunt, atque peſſundant. Non longe a portu erat inſula parua, & nemoroſa, in eâ calendis Ianuarijs noui magiſtratus creabantur, dein conuiuium & ludicrum. illa die inſulam ingredi nefas plebeio habebatur, legem hanc in plebis contumeliam ipſi ſanxerant, ſeruorum miniſteria nobiles iuuenes obibant. circa noctem magna pompa noui conſules nauigio reducebantur, plerique malè ſobrij. Obſeruata nocendi opportunitate Bizarrus, nauta audax, calliduſque tres ſocios aduocat, quibuſcū miſcere ſermones contra ſenatus tyrannidem conſueuerat. Magnum, inquit, opus aggredior, non meis viribus æſtimandum, non irritum tamen ſi viri eſtis, flos nobilitatis in inſula eſt, vno in loco tyranni includuntur, multi ſenes, multi adoleſcentuli, magna pars ſagina graues, paucis iuſta arma, nulli audacia pugnandi: cum in quatuor naues diuiſi, vino languentes fuerint, in poteſtatem noſtram redigemus. noſtris enim nauibus reuehentur, arma nulli parata ſunt, & ſub nauium tabulatis abdita. opus eſt viris quadraginta, cætera vbi fidem iureiurando dederitis, ſocioſq; vocaueritis, exequar. euocantur ergo coniuratorum cognati, quiq; ad ipſum in ſenatum manifeſti erant, tum quibus turbarū amor, & in ſeditione quæſtus. Hos lorica ſub veſte munit, gladioliſq;, arcus in vicina cymba occulit. Tendēte in occaſus ſole nauigijs excipitur nobilitas, atq; in conclaue deſcendit, in ſummo ad officia nautica ſta-

bant

bant coniurati, ſingulis in nauibus deni, poſtquã ab inſula longiuſcule diſceſſerant, oſtiu obturãt, ne quis aſcẽdere poſſet, clauſis denunciant, niſi præſidiũ ex arce deducant, populo magiſtratus atq; honores communicẽt, ſeſe viuos igne conſumpturos, & ſcaphis fugituros, ſimul anchoras iaciunt alij, atq; in medio mari ſubſiſtũt, celerrimo reſponſo opus eſſe. Decretũ ſenatuſcõſulto, vt pari iure omnes viuant, mandatũ ſenatoribus, qui arci, & cuſtodiæ militũ præerant, vt ciuibus arcem, atq; arma traderent, milites ad contubernia dimitterent. Bizarro armamentariũ traderent. Ille accepto mandato in littus traijcit, vbi populus mileſq; effuſus ad ſpectaculũ mirabatur in anchoris hærere naues. Bizarrus ſenatus cõſultum militũ prefecto oſtendit, monetq; è veſtigio excubias dimittat, paret ille præſẽti periculo territus, tũ Darioſto centurioni perferendũ ad arcẽ tradit, ipſe ciuibus quid agatur, exponit, nec arcis præfectus reſtitit, parentem, filios, fratreſq; in naui habebat: & populus ſudibus, verubus, malleis, quæq; ira cuique arma fecerat, inſtructus ad muros arcis concurrebat, poſtquam armati omnẽs, atq; arce potiti ſunt, nobiles reduci placuit, fractos animo, & metu pallentes. Tum vero multo numeroſior ad portum factus eſt concurſus, humiles, & ſupplices videre iuuabat, paulo ante ſuperbos ac metuendos, nec conuitijs temperabant procacia plebis ingenia. nec deerant, quibus primus libertatis fructus placeret, miſerorum inſultare fortunæ, ignaris ſuæ. Acta ſenatui per metum, plebi per proteruiam nocte, ad creandos magiſtratus indicta comitia. Plerique de plebe proſperis elati, nobiles in vniuerſum excluſos volebant, malè eos imperaſſe iam ſuas eſſe vices, ferrent ab alijs, quod in alios ſtatuiſſent. At Bizarrus reſtitit, ſatis eſſe dictitans ſi pares eſſent: nobilitatem preſſam ſemper vindictæ inuenire locum: multos iam foris eſſe, non defore, qui terram latrocinijs, mare lembis piraticis implerent. ſi vera ſecuritas, & honorum lenimenta concedantur, quieti fore.

Interim reipſa ad plebem imperij vim trahebat, ex ea audaces, callidos, factioſos, opulentos, ènobilitate ſenes, rudes, otium & laborum fugitantes, nihil auſuros, deligebat. Plebeis ad ſenatum venientibus ſalarium, abſentibus multa erat, nobilibus liberum adire ſenatum, aut domi manere. Hac re maxime nobilium opes fregit, cum enim in conſilium adſciſci ignauos duntaxat, fungoſque aduerterent, animos demittere, prenſare plebem, eiurare proſapiam, virtutem periculoſam fugere, ſtultitiam tutam ſimulare. Sic vtcunque æqualitatem in ſpeciem retinebant, quod difficile eſt, cum enim ſunt in Rep. partes, vix vlla factio paritate eſt contenta, neque tutam ſe arbitratur, niſi aduerſam oppreſſerit.

CVII. *Seditio Melindæ. Reditus Abiſſini.*

Melindæ crudelior ſeditio: Nobiles in factiones diuiſi, rapinas, cædeſque faciebant, iamque hoc agebatur, vt vrbem ipſam diſtraherent, ac ciues inter ſe committerent. Ea tempeſtate Abiſsinus, quæ in regno agerentur cognitis, per ſinum Arabicum penetrare cogitabat ad Hananum, ex itinere ad portum Melindenſem deflexit, mercatorum modo ipſe, comites, naues inſtructa erant, merces commutant, commeatum in naues inuehunt, de ſtatu ciuitatis edocentur. Viuebat in vrbe Maſaniſſa genere Pœnus, magno natu, prudentiæ & virtutis commendatione regi iam olim intimè notus. Eum adit Garamantis famulus hortatur, vt Abiſsinum regem veniat ſalutatum. Maſaniſſa conſpectu noti hominis recreatus, cymba deuehitur, vtque regem, macie ſqualidum, capillo horridum, veſte obſoleta, circum miniſteria nautica vidit, hinc inde circumſpectans, & loqui conatus, animo linquebatur, atq; à Garamante excipitur, poſtquam ad ſeſe redijt, patrio more regem veneratus, interruptis ſermonibus, (tantum doloris fido amico deformata maieſtas incuſſerat) appellat. Veniſti tandem, nec potuiſti opportunius. Hic hodie ſceptra reſumes, quæ olim hic ſumpſeras, illa tua educatrix dedit, illa reſti-

reſtituet. præterita meminiſſe piget, præſentibus malis tu vnus remedium adhibere potes. regem te tota Aethiopia ſuſpirat. Reſpondet Abiſsinus, Hananum Arabiam decreuiſſe reddere, eò ſe tendere, etiam Manicongum à Canorino offerri, regna illa vni vrbi non poſthabenda, in mora etiam periculum eſſe, vtendum principum obſequijs, dum animus perſeuerat, dum promiſſa præſtare poſſunt, rebus ambiguis multa interuenire præter exſpectationem. Maſaniſſa perſtabat in ſententia, præſentia non omittenda, ad Hananum mittendum Garamantem, Ioannem ad Canorinum, veteri amicitia, gratiaque in animis eorum validos. Remiſſus in vrbem paucos ex fidiſsimis aduocat, rem aperit, famam ſpargunt, à Manicongis & Arabibus Abiſsinum repeti, ea momento totam vrbem permeat, apprime lętam, plebes in ſpem erigebatur, nobiles ſibi veniam nō deſpondebant, ſed aduerſæ factionis odia & calumnias verebantur. At Maſaniſſa mane, quando pleroſq; matutinus ſopor tenet, cum amicis & clientibus in forum venit, tubas concinere iubet, ciues nobilium bellum exſpectabant, non iniucundum ſpectaculum, quod vtramque factionem odiſſent. ſumma inter nobiles trepidatio, cum enim ſcirent à ſua parte nihil actum, quo aduerſarios ſubitò opprimerent, ab illis ſe præuentos arbitrabantur, quare vtrinque fuga, latebræ, preces parabātur. at poſtquam concurſu plurium Maſaniſſa perorare cœpit. Veniſſe regem, omnium malorum adeſſe finem, pro eo ſtare Hananum, Canorinum, alios, Regem hic educatum, & penè ciuem eſſe, omnium præteritorum non veniam modò, ſed etiam obliuionem promitti. ortus deinde clamor regi vitam proſperitatemq; precantium orationem abſcidit, viri ad portam properabant, fœminæ periſtromatis, floribus, plateas ornabant, demum egreſſa nobilitas regem ſalutauit, qui in regiam conceſsit, accurateq; excubias diſpoſuit, mutabiles vulgi animos ſæpè expertus, quod eadem ſæpè die quos in altum extulit, proculcat. Arabia deinde & Manicongus

ſacramentum dixère. militem claſſemque miſêre. Literæ tum per regnum miſſæ, quibus rebellionis culpa remittebatur, & quod ſaluberrimum fuit, qui cum imperio erant, etiā vi dolove occupaſſent, relinquebantur, ita tamen nomine regio ad tempus adminiſtrarent, rationem eorum, quæ deinceps agerent, redditur, præteritorum ſecuri. Sic tyranni, & vrbium ſenatores facile in verba iurabant, plebs regem, quaſi cœlo delapſum accepit, etſi enim poſtremis annis durè, auareque imperauerat, vetera tamen errata partim mortui auctores, partim obliuio, omnia præſentium atrocitas obruerat. Multum regis legitimi, quanquam aſperius imperium, à tyrannorum immanitate diſtare ſolet. Sic & parentum nimia ſeueritas hoſtium crudelitati comparata in virtute cenſeri ſolet.

CIIX. *Coniuratio ſeruorum.* Regno vtcunque pacato, miſsi recuperatores, qui poſſeſsionibus iniuriâ pulſos reſtituerent. at in vrbe regia Magadazâ recipienda magnus ſupererat, & indecorus labor. Seruili manu tenebatur, regem ergaſtularij crearant, dominos in ſeruitutem dederant. Ciuitatem illam magnæ opes, atque ex aulæ licentia, magiſtratuumque incuria, non minora vitia preſſerant. Seruitiorum greges ad pompam pariter, quæſtumque alebant ſuperbe, ſæueque laboribus, & flagris miſeros habebant. opes miſericordiam abſtulerant, ſuperbia minimis erratis incitata, quaſi contemptu committeretur, inſaniens furebat. Nihil enim tam fœcundum irarum ac ſæuitiæ, quàm arrogantia. Iniuſta penſa flagitabant, quæ ſi non expleſſent, fame macerabantur, ipſi totos dies ludis & conuiuijs intenti humanitatis ſenſum exuerant. aduerſæ etſi videantur, affines tamen ſunt, crudelitas & delitiæ, quæ vbi aſsidua ſunt, animos efferant, miſericordiam excutiunt, vt beluina ex alieno dolore quæratur voluptas. Finem ſæuienti inſaniæ numen vrgentibus in exitium cauſis permiſit. oſtendit ſanè Deus poſſe ſe & ſeruos miſerari, & dominos vlciſci. Planè hominem

nem ab homine humaniter tractari oportet. nec in ſeruo conditio ſpectanda, ſed natura, quam cum domino habet eandem, & crebrò ornatiorem. Hunc igitur in modum res geſta. Sarempſal armamentario præfectus, vir locuples, & quod ferme opibus adhæret, auarus, centum qui arma facerent, totidem qui polirent, ad alia miniſteria ſeruos quinquaginta domi alebat: incluſi omnes, vinctique pedicis, labore fatiſcebant, diebus feſtis ab opere feriæ dabantur, verum hebdomadis totius delicta puniebantur, dominus enim crudelis auſteritatis ſacros dies carnificinæ deſtinarat. Chabedus domino fidus, carusque, operum exactor, quibuſdam morbo languentibus penſum remiſerat, moxque ab hero furente flagris cæſus eſt. Natus erat è Pernæ proceribus, plagio in Aethiopiam abductus, generis ille memor, iram altè recondebat, & ne perderet vindictæ locum, domino ſe amantiorem ſimulabat, vltroque ſe ipſe accuſabat, quaſi grauiora meritum, herum collaudabat, cui pro ingenti delicto parum ſupplicij, velut patri ſatis fuiſſet. mox in priſtinam gratiam reponitur, maior exinde illi fides. verùm atrocis iniuriæ memoriam, cupidinemque, vltionis nulla beneficia abolebant. offenſæ tenax, beneficiorum fluxa eſt recordatio, hæc in aqua, illa in ſilice ſcribitur. nec quiſquam tuto illi ſe committit, quem iniuriosè læſerit. Captato die quo extra vrbem equeſtre ludicrum agebatur, intenta in curriculum ciuitate, clam armamentarium ingreditur, atque ergaſtulum, tum ſeruos ad libertatem hortatus, vincula diſſoluit, arma porrigit, decies maiorem in vrbe ſeruorum, quàm liberorum capitum eſſe numerum docet, omnem viciniam vinctorũ laboribus ſtrepere, in proximo piſtrinum eſſe publicum, vbi mille labore & vinculis atterantur, hos effracto poſtico armari poſſe. cœtera ſibi curæ fore. Hos poſtquam armaſſet, ſimul ad alios egreditur, ſimul mittit, qui portas ſeruent, teſſera ſeruis data, vt

ad armamentarium properarent, excubitores partim ſecuros, partim temulentos coercent, cunctis exolutis, exercituque conflato, pars circum armatis cingunt, denunciantque ſpectatoribus, quo loco res ſint, obſiſtentibus mortem minati: reducti ergò ciues in theatrum recluduntur. nemo occiſus eſt, non clementia vincentium, quippe odium, atque iniuriæ in cædes agebant, ſed Chabedi conſilio, ne pugnandi neceſsitatem imponerent victis, quippe dictabat, prima die de ſecuritate, altera de pœna deliberandum eſſe.

CIX. *Serui dominis parcunt.* Rex electus Chabedus in legiones, & centurias nouos ciues diuidit, domus, agri, vineæ, cœtera ex æquo diuiſa. De dominis à plerisque duræ ſententiæ dictæ, aderant plurimi liuidas vibices, mutilata corpora, laboribuſque detrita oſtentantes, atque ingenti feritate iniurias ſuas ylturi iuſſent, omnibus interhecione deletis. niſi rex futura proſpectans, clementiæ propior, precibus, & ratione magis, quam poteſtate, quæ ob nouitatem inualida erat, turbulentos flexiſſet. monebat, nefas eſſe alienam crudelitatem imitari, & ſcelere ſcelus vlciſci. ſeruos dominis fortiores eſſe, ac prudentiores vincendo probatum eſſe. parcendo captiuis, præcipuam virtutum eminere clementiam, quæ dominantes inprimis deceat. Totius regni oculos in ſe eſſe conjectos, fauorem, & ſecuritatem ignoſcendo conciliari. Vincant hominum opinionem manſuetudine, neminem eſſe qui non extrema ſupplicia captiuis auguretur, quæ ſi à ſeruis remittantur, omnes iudicaturos tantam benignitatem ſeruitute indignam, dignißimam libertate eſſe. Multa eſſe in Africa ſeruientium millia, eorum conditionem, ſi in dominos ſæuiant, deteriorem fore. Quin viuos ſibi fore vtiles, ſi viciſsim ſeruiant liberis, opulentis, ſuperbis, morte grauiorem fore ſeruitutem, præſertim ſi his olim mancipijs præſtandam. In plauſu fore pœnam talionis, ſi exequi cogantur, quæ iubere conſueuerant, ſi reddere penſa cogantur, ſi indiligentiam flagris luant. ſi forte bellum oriatur, hos fore obſides. occiſos nulli profu-

tu-

turos, quin diuerſam eſſe cauſam, paucos ex æquo & bono egiſſe, alios leuius ſæuijſſe, diſiungendos eſſe pœna, inter quos tantum ſit culpæ diſcrimen. ſibi videri omnes ergaſtulis includendos, quaterna millia peſsimorum vrbi muniendæ deſtinanda. ſe deinde iudices daturum, qui cognita cauſa pronuncient, vt iudicio, non impetu multitudinis pereant. Tandem omnia Chabedo permiſſa, qui paucorum ſupplicio animos pacauit, quos inter & Sarempſal fuit: effecit deinde vt plurimi filiasfamilias vxores ducerent, quo parentibus apud generos eſſet honor ſeruitus ſuos ipſe quotidiano labore exercebat, præcipua bellandi cura, vt qui audacis facinoris conſcij, in ſolo robore, & ferro ſpem haberent. ergò commeatus conuehere, quàm maximas meſſes facere, vrbem munire, aſylum aperire, ſeruos fugitiuos recipere, vicinis inter ſe belligerantibus adeſſe.

Iam procul terrorem ſpargebant, videbaturque noui regni exordium gliſcere. nam vicinę vrbes Chabedum iuſtitiæ fœderumque tenacem defenſorem elegerant. Regno in verba Abiſsini adacto ſoli rebellabant, neceſſitate magis, quàm voluntate, ne dominis ſuis dederentur, formidabant. Rex miſſo Ioanne epiſcopo imperat, dominos libertati reſtituant, regio ſe arbitrio committant, in contumaces ſeruili ſupplicio ſe vſurum. Ad ea Chabedus nec timidè, nec ſuperbè reſpondit. Regna à numine donari, atque auferri, iacentes erigi, ſtantes proſterni. eius rei exemplum eſſe regem ipſum ex tanto monarcha exulem, peregrinorum regnorum hoſpitem, & licet ſpectatiore comitatu, mendicum. Sibi natu libero, deinde ſeruo, nunc in manu eſſe ſceptra, non ambitu, auaritiaque, ſed neceſsitate mutauiſſe fortunam, non fugiſſe ſeruitutem, contumelias, & ſupplicia morte aſperiora vitauiſſe. non poſſe tot viros fortes ſe deſerere. Si libertas ſecura, nec inops detur, ſi tolerabilia viris imperentur, pacem non abnuere. Si nihil obtineat, per virtutem acie, quàm per cruciatus animam exhalare malle. Primum quidem veteres dominos, nunc ſeruos

CX. *Defenſio Chabed, & pax.*

ſuos

ſuos trucidaturum, tum quod in familiam fuerint crudeliſsimi, tum quod Abiſs no infidi. ſe regis iniuriam victum eſſe, ſeruos ſuos enim regis fuiſſe hoſtes & perduelles, eo tempore ſe in eos arma cœpiſſe, quo in regem inſurrexerint, in dominum maieſtatis reum, ac hoſtem reipublicæ ſeruo ius eſſe. Regem hoſtibus & tyrannis ignouiſſe, ſi cauſam ſuam æſtimare velit, nullam toto regno eſſe meliorem; regis hoſtes in ordinem redegiſſe. ſeſe ac ſuos intra beſtias habitos, in numerum hominum tandem repoſitos. Si regi ſalus regni non eſt poſt vindictam, nec maieſtatis decus in ſanguine inſontium poſitum arbitratur, in amicitiam recipiat. Si nullus eum ſupplicum gemitus moueat, ſe Deo curæ futuros, cui liber & ſeruus ex æquo iudicandus ſiſtitur, cui odio eſt crimen in ſolio, & cara virtus in piſtrino. nec idcircò reliquum ſeruorum genus in dominos contumax fore, quando in malè morigeros libera ſit heri poteſtas, quæ ſæpiùs ſæuitia, quàm lenitate delinquit, & ſuo vitio ex miniſtro fidiſsimo hoſtem facit acerrimum. Plus periculi in ſuorum parte fore. nam ſi ſeruis nullæ leges, ne regia quidem clementia ſubueniat, paſsim pro libidine ſæuiendi licentiam dominis concedi. Eam nunc eſſe hominum crudelitatem, vt rogati cur ſæuiant, aliud reſpondere non dignentur, quam animo ita collubitum eſſe ſuo, vocem feralem miſerorum lacerationes, & vlulatus conſequi. Nullum ſeruis, pro quibus tamen Dei filius mortem oppetijt, in legibus, in magiſtratu, in natura communi præſidium. Si regni ſalus quæratur, non eſſe minus ſceptro aliunde periculum, quàm in tot hominum & quidem Chriſtianorum, indigna oppreſsione. Omne ius clauſum ſeruo, omnem negatam humanitatem, non minus quàm boni, magis etiam quàm equo, canique. Parui intereſſe, ſi vnus iuſtè ac leniter imperet, ſi tot millia priuatim tyrannidem exercent, his compeſcendis regi datum gladium. nec referre alio ex orbe eſſe, non

non eſſe ex alia naturâ, non origine, ab eodem Deo, ituros in idem regnum, & multos præ dominis ituros. Omnem Monarchiam in mancipia ſæuam, etiam in ciues eſſe cruentam, & tandem lacerari. Hæc ſe pro ſe, ſuis, & vera, & ſolum loqui, nam vt alij contra iura ſua ſaltumque loquantur, nec ſe huculque expertum, nec in futurum exſpectare. Se eſſe libertos regios, poſſe agros colere, arma tractare, nec bello inualidos, nec pace indecores. Denique hæc dicta regi tanquam patrono, ſi cauſam probet. Sin autem, regis ad regem eſſe verba, bellumque denunciare. Illis in ſolo bello ſalutem eſſe, quibus nihil in pace præter ſupplicium ſupereſt. Poſt mul.am diſceptationem annitente Ioanne, promiſſa libertas & venia, in varias deinde prouincias diſtributi, agrique aſsignati, qui validi ſuére, in militiam allecti vilem operam præſtitére. Chabedo inter proceres datus locus: licet enim mali ſerui, boni regis tamen ſpecimen dederat, ciues ſeruarat, vicinos amicos defenderat: plus beneficium, quam iniuria valuit. mancipio deinceps nullo vſus eſt, ſed poſtquā coemerat, libertate donatum, liberum miniſtrum eſſe iubebat. Hunc in modum caſtigata Magadenſium defectio, & iniqua in ſeruos duritia, ſanctæ deinde, miteſque de ſeruitijs latæ ſunt leges. Ius verberandi dominis ablatum, penſi moderatio, interualla quietis, feſtorum obſeruatio pręſcripta, demenſum adauctum, dati cognitores, qui miſerorum cauſas iudicarent, pluribus locis Epiſcopi. Chabedus porro Magadazæ conſenuit, cui mortuo tota ciuitas parétauit, luxitque, & monumentum vindicatæ iniuriæ, vrbiſque ſeruatæ poſuit. Porro Abiſsinus ſeu ipſe regnū obiret, ſeu proceres mitteret, primo inquiri iuſſerat, an moderate & ex legibus ſeruitia haberentur? cæterum qui tuendi multas eſſe rationes dictitans, ſeruos in ſola regnantium æquitate & miſericordia præſidium. Nec poſſe regnum non eſſe calamitoſiſsimum, in quo tanta multitudo ſine legibus, pecorum ritu opprimatur.

Magno

CXI. *In Garamantem calũnia.* Magno poſthæc ſtudio pietas, legumque reuocatus vigor, præſides ſelecti, ſenatus ex illis quos virtus & prudentia commendabat, ſuppletus. Sed amicitiæ regiæ, quodque inde conſequi ſolet, potentiæ, apud Garamãtem, erat materia periculi ſemper, & inuidiæ. Ioannem Epiſcopum religionibus promouendis intentum, modeſtia, ſenectu, & iuncta cum opum contemptu paupertas liuori ſubtraxerat. Maſaniſſam plurimi rex faciebat, ſed vita priuati inſtar, & celebritatis fugitans carum omnibus effecerat: cùm enim neminem æmularetur, ab aliorum ſimultate & obtrectatione immunis erat, cùm nulli obſtaret, à nemine concutiebatur. Superbia quippe & ambitio in ſui generis morbos, & cognata vitia efferuntur, cum ceditur, quieſcunt. In Garamantem igitur incumbunt. ſumma illi auctoritas, fideſque, nec facilè conuellenda: quia ex meritis apud regem prudentem, gratumque in tuto collocatis. Splendor familiæ, dona regia, exterorum regum amicitiæ, [illegible] creſcentibus prouincijſque præfecti inuidos [illegible] bant. Præcipuus dolor Tiruto, Barcenæ Gemeni, veteris nobilitatis viris, quorum nomina nunc quoque vrbes illuſtres referunt, Barcenas ſpecie honeſti ingenij [illegible] arami carus erat, ſimulatione virum inſignem fefellerat, ex animo ſuo de alio iudicantem: ille igitur amicitiam Garamantis oſtentabat, ea memorans, quibus virum egregium commendaret, ſed quæ tamen cum vera [illegible] de inuidiam mouerent. Tirutus è contrariò eundem carpebat, immodicas opes, priuato maiorem familiam, potentiam filiorum periculoſam, exterorum regum fœdera, nulli expetenda, qui fidit ſuo. Hæc aliquando tanta contentione diſſeruerunt, vt quæreretur, potentiorne rex, an Garamas videretur. Hos ſermones Barcenas regi detulit, ficto metu, ne Garamanti calumniæ ſtruerentur, obteſtatus regem, ne Tiruto crederet. Hac arte ſibi fidem amicitiæ cum Garamante [illegible], & ſuſpicionum ſemina iecisse contentus. [illegible] Garamas & Barcenas ad fines Nubiorum controuerſijs finiendis

endis, qua in re cùm tempus diſceptationibus extrahitur, Barcenas clam eorum legatos admonet, ſe quidem poſtulatis annuere, collegam iuris Aethiopici tenacem obſequio molliendum, honore & oblatis filio eius regiæ filiæ nuptijs demereri poſſe. Nubius illa promptius, quam vel regem deceret, vel Garamas optaret, præſtitit. Dona quidem ille recepit, ſed maiora redonabat, de matrimonio filium excuſauit, parem non eſſe, alterius regis miniſtro oneri fore reginam. Inter hæc Barcenas regi ſcribit: compoſitionem non ſuccedere, ægro eſſe ſe corpore, animoque, cupere quamprimum reuocari ſe, habere quæ committi literis non poſſint. Secretum deinde nactus, multa de ſuo ergà Garamãtem amore præfatus, tandem aſſeuerat: Eum omnia ſpe regię affinitatis perdere, à Nubijs pro rege coli. nuptias Siphacis filij iam penè confectas. Miratus eſt rex inopinatam accuſationem. Hinc cana fides Garamantis, inde Barcenę indicium, quem amiciſsimum Garamanti arbitrabatur. nec dubitabat vacillare fidem, ſi peregrinas affinitates finitimi regis ſeſe inſcio ſectaretur. ergò ratus non eſſe curam ſuperuacuam etiam fictis periculis occurrere, Siphacem benignè, quaſi conſilij cauſa ad regiam adeſſe iubet, promptè venientem magna beneuolentia, & honore excipit. & pars innocentiæ videbatur, ſtatim paruiſſe. Multa de exercitu, multa de prouincia ſciſcitatus, dein ſenſim ad mentionem nuptiarum delabitur. Velle ſe eam familiam, quàm maximè florere, iam tempus eſſe ducendæ vxoris. Ad illa Siphax gratias agit: cauſatus iam tempus eſſe laboris, ſe dies noctéſque agere, quæ regis ſint, cætera regi & parenti permittere. Rex in ſpeciem omnia dici arbitratus, vrgere perſtitit. Imò, inquit, ea te ſolum cauſa vocaui, vt vxorem deſpondeam. Quod ſi vel tu, vel parens aliquo animum appuliſti, aut pactus es, me adiutorem habebis: hoc enim regium arbitror, amicorum hoc in genere votis obſecundare. Tum Siphax, nec parenti, nec ſibi tale quippiam in mentem veniſſe. Hac in re, alijſque, non niſi regio

M conſi-

conſilio, & voluntate vſuram. Atque in ea ſententia, rege varia interrogante, perſtitit. Tum ille: Gemenius filiam habet, cui omnia præter dotem adſunt; parens eius magno genere, & virtute eſt, opibus ſæpè exiguis. Ad ea Siphax. Conditionem placere, dotem non morari, ſatis eam ſua modeſtia dotatam, ſatis regio fauore diuitem eſſe. Parenti autem eum honorem deberi, vt eius conſenſus exquiratur, nec de voluntate eius dubitare, ſe, quin id optimum iudicaturus ſit, quod regi placuerit, ſed vt auctor ſit coniugij, qui & vitæ. Scribere igitur parenti iubet, literas ex itinere ad ſe referri iubet, reſponſum etiam Garamentis intercipit, cumque conſentanea omnia Siphacis verbis videret, calumniatum Barcenam ſuſpicatus eſt, miſit tamen collegam Garamenti Tirutum palam inimicum, quo rem magis pernoſceret. Barcenas profectò Tiruto iam Garamantem pro perdito habebat. At poſtquam rex promiſſa dote filiam Gemenij poſtulauit Siphaci, illeque ſpe tantæ affinitatis erectus à Barcena ſeſe abiunxit, ſummo in diſcrimine accuſator maius ſcelus mouet, Tiruto ſcribit, vt veneno Garamantem è medio tollat, ſe Gemenio necem allaturum. Eas literas rex quoque intercepit, ex quibus intellexit Gemenium quoque in conſpiratione fuiſſe, quare blande omnia exquirit, etiam venia promiſſa, ille etſi verecundia criminis primum hæſitauit, inſidias tamen detexit. pleræque enim conſpirationum à ſocijs proditæ ſunt, & praui conſilij nuſquam tuta fides. Rex Garamantem ad nuptias filiæ venire, & Tirutum ſecum vinctum ducere imperat, Barcenas in carcere obijt, dubium an voluntaria morte, an ab agnatis publici probri metu, dato veneno. Tirutus poſt breue exilium naufragio perijt.

CXII. *Regnorũ vitia.* Vehementer indoluit rex intimos ſuos tantum facinus auſas. Crebro ingeminans, ſi vſpiam ſcelera ſunt, in aula ſunt. Et: nihil liuori imperditum eſſe. Deinde poſtquam tota die cum Ioanne, Garamante, Maſaniſſa, con-

conſultaſſet, qua ratione viros bonos rebus præficere poſſet, atque à cœna ſub platano conſiderent, Zephyro æſtum temperante, Ioannes apologum, quo genere ſermonis gens illa delectatur, recitare cœpit.

Preda animaliũ.

Vetuſtiſsimo ſæculo, cùm brutæ animantes conſilia cœtusque agitarent, diuæ Iuſtitiæ terras habitanti, querelas detulerunt. Illa toto orbe concilium euocat, tum præſide aſtræa de iure & æquo ſanctè diſputatum eſt, leges iuſtiſsimæ conſenſu perlatæ, earum cuſtodia leoni atque aquilæ commiſſa. Scribundi cura data elephanti, quæ pſittacus dictabat, ipſe ſcribentium ductus imitante proboſcide in tabulas referre ſimulabat, nullas tamen literas efformabat, quod manum atramento non tingeret, mox iuſſus ſcripta in conſilio relegere pſittacus albas tabulas inuenit. indignante ſenatu quaſi ludibrio haberetur, elephas poſtquam quercui latus acclinaſſet ſonoro barritu reſpondit. Nihil equidem ſcriptitaſſe, irrito labori peperciſſe; nam & leges incaſſum ferri. Simulationem verò ſcribendi, imaginem eſſe rerum quæ gerantur, omnia enim ſimulatè fieri, paucis ius atque honeſtum, omnibus ſua commoda eſſe curæ, ac cordi. Omnes animantes queri, nec mirum, rempublicam quadrupedum, volucrumque ad humanam pene nequitiam, improbitatemque accedere. violenter, inſidioſè, perfide cuncta peragi, nullì ſecuritatem eſſe, natiuum cuique hoſtem. eo rem deueniſſe, vt pleraque fortiſsimorum quadrupedum, peſſimo animalium homini ſe mancipauerint. Non de canibus, inquit, equis, alijsq; hominũ paraſitis, & mancipijs queror, leones, tigres, aquilę in ſui generis iniuriam, ſanguinem à bipedum gente erudiuntur, nec opus tamẽ arte, cuiuſq; rapacitate indies prædę agũtur. nõ poteſt tot malis remediu adferri, ni reb. cõmunib. ea animalia præficiãtur, quorũ intereſt, leges & iura pollere, cędes & rapinas ceſſare. Hactenus illi regnãt, quib. ex violẽtia victus, qui mirum, ſi prędari, quã eſurire maluerunt, nunc

leo,atq; aquila dominatum obtinebunt, quorum ſummæ vires vix ingluuiei ſunt pares,omne genus animantum ſibi in cibum eſſe conceſſum gloriantur. De leone omnes querimur,iuſtè cerui,boues,oues. at vrſi,tigres, vulpes iniuſte: hi etenim meritò patiuntur clades à maiore,quas minoribus inferunt. Leo tigrim, hæc vrſum, ille lupum inuadit, ſingulis ſua eſt venatio, ne canes quidem,vulpeculæ, æluruſque iniuria abſtinent, nec in volucrũ repub.minor rapacitas: aquilæ, milui aliorum notæ ſunt iniuriæ, paſſerum, hirundinumq;, ſæua eſt in apes, muſcaſque crudelitas, quin araneus pus merum, ac putredo,etiam in bipedum celiis ſpeleis retia inſidijs, caſſeſque ſuſpendit. Nullus carnificinæ modus futurus eſt,niſi cum imperio ſummo placidi animantes ſint,qui ſine ſanguine & viſceratione vixerunt, quibus eſt innoxius è terra paſtus, carniuoræ in ordinem redigantur, vires illis, nocendique poteſtas dematur, herba,paleaque, aut arborum fœtu viuant, cupedias ex alieno ſanguine deſerant, diſcant nefas eſſe, in ſua viſcera, cognatorum membra condere. Infremuit ad iſta leo, & cruento pabulo ſueta animantia, verum plurium ſuffragio in elephantis ſententiam itum eſt,iuſſa eſt faſces & ſecures ponere ſæuities, ad elephantem, bouem, ceruum, coruum,columbam tranſlata ſceptra. manſit in animantum ſæculis optima reipubl. forma, quamdiu in terris aſtræa domicilium habuit, poſtquam noſtris plagis exceſsit,in ſuum ingenium ſingula remigrarunt,infeſtamque ætatem agunt. Poſt modicum riſum, ſermonemq; Ioannes dicere perrexit: Vidi pronuper, quod neq; adhuc vitare poſſumus, vrbibus, prouinciiſque præponi ſuperbos, ſæuos,egentes, auaros, cupidinum inſatiabiles, vt quæque præfectura vacua eſt, ſupplice libello, obſequijs,donis, affinitatibus ambitur imperium, centeni interdum ſunt competitores. Paucis animus eſt honores petendi,vt felicior ſit reſp. priuata commoda, redituſque ſperant, de publico viuere, ætatem lautius agere, diuitias augere conantur. Quod à rege datur ſti-

pen-

pendium, ad epulas ſumptuſque, ad cumulandos theſauros ſatis non eſt. Aliunde ergò ſubita opum incrementa veniunt. omnes immenſas opes concupiſcunt, plerique congerunt; quod in vnam domum aceruatim conuehitur, ſpolium eſt ex vicina, granaria magnatum de cumeris pauperum ſtipantur. Talibus magiſtratibus vtile non eſt, leges vigere, cupiditate violantur, aut eluduntur. Qui integras prouincias adminiſtrant, leonis aut aquilæ inſtar latè, potenterque venationem exercent, equos, tauros, interdum etiam vrſos, lupoſq; prendunt. Qui ſub leonibus partes reip. minores ſortiti ſunt, vitulos, capras, oues, & minora lacerant. his proximi, anſeres, gallinas, muſculos: nec minimi ſe deſerunt, lumbricos, muſcas, pulices captant. Nulla præda ſordida habetur. Nullum officium tam vile eſt, vt non illi adſit adulator, vt deſit competitor: ſupereſt enim emolumẽtum. Cum igitur magiſtratus ea cauſa petant homines gerantque, vt per aliena incommoda ad opes dignitateſque perueniant, cum finis illorum non ſit ſubiectorum felicitas, non mirum eſt leges contemni ac diſcerpi, cum ſuis cuſtodibus aduerſentur. eas ergò cùm latere poſſunt, liberè, cum timent, cautè tranſiliunt. Natura brutorum eſt, vt fortiora in cibum rapiant, quæ ſunt imbecilliora. quod in beluis eſt natura, in homine eſt naturæ vitium. In illis quidem finem ſæuiendi facit ſatias, in his eſt inexplebilis auiditas: poſtquam enim pluſquam digeri poſsit, ingurgitarunt, præſenti copia non ſatiantur, in futurum æuum ſeroſque nepotes miſerrimam famem extendunt, prædanturque, vt opulenti ſint malè perdituri, aut etiam nunquam naſcituri. Latè hoc malum graſſatur, maximi magnos, hi mediocres, illi paruos, parui minimos deuorant. Imò ne magni quidem tenues aſpernantur prædas. Lupus & bouem & muſcam capit. Vt igitur Remp. integrè ſanctèque inſtituamus, quærendi nobis homines, qui alieno iniuria ditari nolint, qui fœno paleiſque contenti de carne cognata ſibi dapes non ſtruant. Deinde tales, qui omninò

augere diuitias nolint. qui erogent aurum, non aceruent. alia ratione regni ſalus, legum tutela haud diu [illegible] bit. Oportet & imperantem, & eos per quos impe[illegible] bonos iuſtoſq; agere. Sub laudato rege ſenatus, iudic[illegible]que praui, plus obſunt Reipublicæ, quàm rex impr[illegible] bus, cui prudentes ſunt, & iuſtitiæ amantes rerum a[illegible] miniſtri. Iniuſti regis iuſſa ſæpè per viros id[illegible] inhibentur, aut mitigantur. Rex quamuis bonus, [illegible] lanſque, obſiſtere multorum nequitiæ non valet. [illegible] vero cognita errata corrigere valeat, cognoſc[illegible] poteſt: frequenter euenit, vt quod omnium in ore e[illegible] oculiſque, ipſe ſolus ignoret. Verſuti homines a[illegible] te, ſocietate prædæ, conſcientia criminum ſibi [illegible] obligantur, catenatis nexibus regem implicant, vt [illegible] lis dependere cogatur. Vnus qui ſemel nimium fide[illegible] ſtruxit, regis periculo, ſuo commodo dominatur. [illegible] illa regnorum vitia, quæ nunquam omnia ab [illegible] vitantur.

CXIII. *Fa[illegible] in homi[illegible]* Tum Garamas. Rectè tu quidem, verum in paradiſo, non in fœce mundi ciuitatem aut regnum fabricaris. Vnde enim tot viri integri, iuſtitiæ tenaces, contra auaritiam, voluptates, metum inuictos? Phœnice r[illegible] or eſt vir bonus. Tum altè ſuſpirans Epiſcopus, c[illegible] lumque obtuitus. Orandus, inquit, rerum ſupr[illegible] Dominus, regnorum donator, arbiterque, bonos vt [illegible] ſtendat. illi pectorum arcana in patulo rel[illegible], illi manifeſtus eſt, quiſquis hominem fallit. V[illegible] vir-tus, probitaſque ex eo rerum eſſet genere, qu[illegible] imitari ſimulatio, ſimulando infamare non poteſt. [illegible]ter in vitę humanę caſibus agitur, minimum veri, [illegible] fuci eſt. Virtutum ſpecies animus f[illegible] circumdat, & famâ integritatis fruitur, vultum h[illegible] eſtingunt, & maiore in honore eſt colos, quàm viua facie[illegible] Quin etiam mens noſtra componenda eſt, optimos [illegible] præligere velimus. Non deerunt ſigna viri boni, q[illegible] lia vix poſſunt eſſe mali. Primum ſi quem ad[illegible]

re rebus placet, conſulenda eſt vulgi opinio. Fama ſiniſtra etiam innocentes Reip. gerendæ parum idoneos efficit. Non eſt illa animorum index certiſsimus, de moribus tamen bonis ſatis incorruptè populus iudicat. Etſi enim ea eſt vulgi malignitas, vt eminentium virorum obtrectatione delectetur, malos laudet, cùm eadem virtus & venerationi ſit, & inuidiæ: ſincerior eſt tamen eius ſententia cùm fauet, laudatque. Non facilè, pronior ad deteriora credenda, virum bonum exiſtimat, niſi validis conuictus argumentis. Et eximiæ mentis ſignum eſt, ſi eam liuor vereatur attingere. Quia tamen fama tam falſi, quàm veri tenax eſt, reconditum illud ac tenebricoſum animorum chaos ex factis peruidendum eſt. Quædam improbitatem notam, furoreſque indicant, vt iniuriæ, libidineſque; nemo enim iſta peccando ſimulat, cum ipſa fictio in crimine ſit. Malitiæ igitur indubia ſunt argumenta, conſtatque plerumque quos vitare oporteat. Non eadem eſt cauſa virtutis, ſæpiùs fingitur, quàm habetur, quodque eius imaginem exhibet, frequenter ex vitio procedit. Bonos eſſe ſuſpicamur, quos malos eſſe neſcimus. Humanitatis planè eſt, pro ancipiti cauſa clementer iudicare, in reipubl. tamen cura certa honeſti, iuſtique argumenta poſtulo. Ita tibi, ô rex, in alijs vſus eſt. Tibicinem cantu, pictorem imagine, coquum obſonio probas, militem ex geſtis, & donarijs approbas, medicum accerſis, cuius in multorum ſanitate ſit probata felicitas, non qui prima artis ſuæ rudimenta tuo in corpore peragat, ne equo quidem vteris, niſi quem currentem videris. Hanc legem in re omnium maxima, difficillima, nobiliſsima, in hominum gubernatione tenendam cenſeo. Ad clauum tantæ nauis nemo ſedeat, niſi qui per fluctus & procellas eam eduxerit, qui veræ virtutis & fidei certa documenta dederit. Si voluptates vicit, ſi opes contempſit, ſi eas innocentiæ cauſa proiecit, ſi iuſtitiæ ergò diſcrimen ſubijt, ſi tyranno-

rum minas praua iubentium contempſit, ſi oppreſſos cum rerum ſuarum damno tutatus eſt. Hos inquam, Reip. admoueamus; non adeò æqui rectiq; ſterilia ſunt noſtra tempora, vt deſit optimorum copia, ſi quærantur. Verùm ambitioſorum, callidorum, auarorum importunitate obtundimur, occupant illi loca bonorum; generi, cognationi, precibus deferimus, virtutem amittimus, atque in tenebras retrudimus. Magnorum heroum facta ignoramus, non quia nulla ſunt, aut pauca, ſed quia non quærimus. Magna erant Chriſtianorum olim, & Patrum tempore facinora, exquiſita virtus; Reges, præſideſque à Dei cultu, à iuſtitia, à caſtitate non illecebris modo, ſed tormentis auocare conabantur, at ſtetit inuictum robur chriſtianæ pietatis, tendebant eculei, ſtridebant vngulæ, faces vrebant, vt peccare cogerent, illi in rogo, & cruce innocentiam tenebant, cruciatibus inſultabant, tanta virtus recens in Aegypto, & Perſide viſa eſt, nec Aethiopia ingentium factorum exors eſt: multa audiui, plura legi, quædam vidi. Cum igitur in Chriſtiana republica multa ſint millia, qui ſuprema ſupplicia perpeti malint, quàm fraudulenter, iniuſtè, libidinosè, ſæue aliquid perpetrare, cùm id Martyrum acta confirment, dubitare non debeo, quin nunc quoque tam præſentes animi, virtutumq́ue decora ſuperſint. Hos quæramus, & ſeriò quidem: id regi vnicè incumbit, miniſtrorum delicta luituro. At nos Reipublicæ rectores quærimus, non martyres, non ſanctos. Imò verò & hos, & illos. Hos præcipuè. Nam, per Deum, quæ noſtra eſt ratio. Deſcendunt in aream noſtram bini candidati, petitur prouincia, alter opes, honores, gloriam ſpectat, ne ſubiectos expilet, ne alienum thorum violet, ne ſæuiat, metu, & ſpe continetur, ſubmotis obſtaculis ſuo ingenio vſurus. Alter autem vt ius reddat, non vt opes augeat, verùm inopes tueatur, alat, quem non damna, non tormenta officio dimoueant. Ille pœnarum metu maleficio abſtinet: hic nullo ſupplicio ad maleficium pertrahi poteſt. Vter tandem vtilior

eſt Reip. vter innocentior imperabit? Sic igitur cenſeo, cum tertio abhinc denuò conuentus ſit indictus, quiſq; ſecum perpendat, poſsitne regi nominare virum, quem non modò cupidines ad iniqua & praua non rapiant, ſed qui ne quidem morte intentata, malè acturus ſit. Qui non modò commodis vitæ, ſed etiam vitæ ipſi rectum anteponat.

Subritit Garamas, ſiquidem, inquit, Sanctos quærimus, propemodum habeo, quem magnæ vrbi proponam, Hortulanum meum. Et Ioannes: Imò æditnum meum. Et Maſaniſſa: Quin ego cenſeo ſanctum nullum negotijs Reipublicæ adhibendum. Periculoſa res eſt, occaſio tandem eos profanabit, ita nec Sanctos, nec idoneos præſides habebimus. atque ita venerati regem ad ſe quiſque diſceſſerunt. Prima luce venatum rex profectus eſt, totamque diem in nemore egit, circa veſperum, dum ceruum auidius inſequitur, pernice equo à ſuis abreptus eſt, coorto imbre, & inhorreſcentibus tenebris per denſa frondium errabat, donec procul emicare lumen conſpexit, ratuſque ſuos eſſe, qua tramitem ſignabat fulgor, ſecutus in ruſticanum mapale deuenit, paulò poſt armiger adfuit, ſeu regis veſtigia tenuerat, ſeu lumen alio ex loco viderat. Incola Naharbal erat, nobilis dynaſta, armigeri quondam dominus, nunc tenui victu cultuque agebat. Regem aduenientem comiter excepit, natiua quadam morum venuſtate, geſtu, verbiſque, quibus natura venerationem amoremque circa aulicæ vanitatis faſtidia exprimit, vxor omnia ad hoſpitis magni, ſed fortuiti, aduentum deproperat, neque cibus, licet vulgaris, rus ſapiebat. Rex cum multa in illo modeſtiæ ac prudentiæ ſigna notaſſet, armigerum interrogare iubet, cuias ſit? quem modum teneat? ſi qua in re beneuolentia opus habeat? Armiger ſubijcit: In eius obſequio ſe olim fuiſſe, virum eſſe primariæ nobilitatis, vxorem eſſe pari ſplendore; vnum illi eſſe & grande vitium, nimiam, quæque proxima ſit ſtultitiæ, ſimplicitatem. Rex ſeuero obtutu miniſtri procaciam

CXIV. Naharbal in ſenatum cooptatus.

caſtigare contentus, cauſam cur ita iudicet, reddi poſtulat. Tum ille. Plures ſunt, certæque. Adoleſcenti oblata eſt vxor, nulli ſeu formam, ſi opes ſpectes ſecunda, quodque tum in maximis habebatur, agnata Milchami, illam recuſauit, hanc indotatam accepit, vtrunque ex cauſa ridicula: illam quod Chriſtiana non eſſet, huic quod deuota diceretur, poſtpoſuit. Deinde Daſilanæ prouinciæ, quæ Ægypto contermina eſt, præſes, nulla munera vnquam accepit, cum ſumma eſſet in immenſum augendi opes occaſio; quin duos è ſcribis, quod acta quædam, donis corrupti, mutaſſent, fruſtra deprecante Milchamo ſuſpendit. Paulo poſt cauſam contra Seradenum iudicauit, quare cum potentes ſibi inimicos feciſſet, mox dignitate deiectus eſt, multiſque caſibus agitatus. Sæuientibus deinde tyrannis, cum omnia illi pollicerentur, ſi libello ſcripto eorum cauſam probaret, non recuſauit modo tantillum officium, ſed palam increpuit. Deinceps cum ſacerdotes, ciues, nobiles ad necem à tyrannis quærerentur, eos abſcondit, alendiſque vim magnam opum impendit. Quin imò cum ab horum aliquo proditus tyranno periculum adijſſet, ægrum poſtea, egentemque domo excepit, eò tandem mentis errore deuenit, vt tædio rerum, quæ ſunt hominibus primæ, hoc ſe exilio damnarit, neque vlla in re, quam his factis ſuis defendendis eloquens, & promptus. O rex ſi extremam eius ſtultitiam indubitato aues cognoſcere, centum illi talenta pollicere, ſpondeo non accepturum, moniturum tamen vt in pauperes elargiaris. Atqui ego hoc ſtultiſsimum iudico, cum alijs ſapiat, ſibi ipſi non ſapere. Rerum vero ſuarum rationes non ex vſu, ac more hominum, ſed ex præſcripto quorundam libellorum inſtituit. Rex cum admiratione armigerum audiuit, dimiſſoque ad cœteros requirendos, cum Naharbale ſermones miſcet: iuriſque & Theologiæ bene peritum eſſe intelligit, ſub diſceſſum vero ſyngrapham illi offert, qua oſtenſa, poſſet ex ærario centum talenta capere, quam

quam ille decore actis gratijs auide accepit, opinionemque virtutis apud regem vehementer imminuit, qui tam luculentam ſummam idcirco promiſerat, quod recuſaturum putaſſet. etiam indigne tulit, cum ab ærarij præfecto audiſſet, eadem die in vrbem veniſſe, acriter flagitaſſe, quod vel de fide regia dubitantis, vel cupide inhiantis eſſe conijciebat; Dilato ſenatus habendi die, poſtquam conſediſſent, rex per iocum, quæ ſibi contigiſſent narrauit, deceptum ſe ab armigero, bonum virum argento probaſſe, improbum inueniſſe. Imo, inquit, Maſaniſſa, audiendus eſt. Ex talentis centum modo teruncius illi nullus eſt, ille nunc domi meæ eſt, vetus hoſpes, cenſeo aduocandum, atque id ſolum quærendum, quos in vſus aurum tam ſubito expenderit. Et Naharbal ingreſſus rationem dedit. Non mea cauſa, magne rex, munera tua accepi, agellus mihi inemptas dapes miniſtrat, & iucunda mihi paupertas delicias excludit, tua beneficentia alienæ egeſtati ſuccurrere decreui. Maximus Magadazæ hominum numerus verſatur, qui à præſidibus apoſtolos petiuerunt, atque regem appellarunt, cauſas ſuas ad tribunal ſupremum acturi, lente procedunt negocia; niſi præſentes vrgeant, etiam negliguntur, petit aduocatus, petit procurator, flagitat ſcriba, rogant accenſi, atque apparitores, pro modo mercedis laborem atque induſtriam intendunt, remittunque, Interim res domeſtica negligitur, carò alimenta hoſpitiaq; veneunt, hinc multi optimas cauſas deſerere coguntur, hinc diuites per calumniam huc appellant, vt ſumptu pauperes exhauriant. Nulli hoc malum ignotũ, niſi forte ad regem fama non peruenit. His ego pecuniã tuam diuiſi, quod beneficiũ gratiſsimum eſt, non enim tantũ quod datur iuuat, ſed ad maiora recuperanda præbet facultatem. paucis nummis multorum fortunas redemiſti, atq; in futurũ ſtabiliuiſti. Nihil regno nocẽtius, nihil magis ſceptro indecorum, quam pauperũ cauſas, quas iuſtitia ſuſtẽtat, inopia deſeri. In ærariũ regiũ labo-

res ſuos, & penè ſanguinem inferunt, cum ad tribunal præſidium poſtulant, nec eſt quod donent, repelluntur, non quia iure carent, ſed quia ſpoliati ſunt. Illud verò acerbiſsimum, quod poſt laborioſas agitationes, ſi ſumptus deficiant, non modò vadimonium deſerere cogatur, ſed victis infamia addatur, & pecuniam pro multâ, damnoque poſcantur. Inter hæc illi vindictam de cœlo vocant, & ſæpè, quod multorum exempla teſtantur, rata prece deuorant. Placuit regi & factum, & monendi ex merito fiduciaque ſumpta libertas. deinde inuitum, multaque excuſantem in ſenatum cooptat, appellationum præſidem pronunciat, denique ærarij quæſtori mandat, vt Naharbali petenti pecuniam nihil neget. Salarium regium nunquam admiſit, ex agello ſuo, vt aſſuetus erat, victitabat, ſæpè dictitans; Iuſtitiam pompa non egere.

CXV. *Natanei virtus.* Iuſſus deinde Ioannes Nathanem Epiſcopum conſilio commendauit; ſummo genere is natus, primum leges ciuiles, deinde Theologiam perdidicerat, Epiſcopus viduas, inopeſque defenſans, potentium offenſis vexatus erat, cumque efferum tyrannum Toantem aditu Eccleſiæ prohibuiſſet, abſciſſa lingua, quà impium monuerat, in vincula coniectus eſt. Tyrannum mox pœna inſecuta eſt, dum quaſi victor quadrigis ad templum vehitur, curru excuſſus, rotiſque contritus eſt, equus ad linguæ, quam templo affixerat, conſpectum exterritus. Nathan ſcripto populos erudiebat, atque in conſilio ſententiam explicabat.

CXVI. *Patris & filij conſtantia.* Garamas nominauit Xoanum, filiumque eius Natarbalem, plebeiæ conditionis, ſed pro ſtemmate erat virtutum proſapia, cuius in omni hominum genere natiuum eſt, propriumque decus. Xoanus coortis turbis, cum filij regis ad necem quærerentur, obſoleta indutos veſte, filio adiuuante abſcondit: nec factum latuit tyrannos, Natarbal captus immaniter cruciabatur, vt latitantes proderet, parens ſimul miſeratione filij, ſimul metu, ne dolorum acerbitate victus adoleſcens indici-

um

um faceret, è latebris prodijt, Natarbalem fruſtra vri, ſecarique aſſeuerans, non poſſe eum, ſi vel maximè vellet, regios filios prodere, neque adeò ſe inopem conſilij fuiſſe, vt adoleſcentulo aduerſum tormenta infirmo, tantum committeret arcanum. Se rerum omnium conſcium, & auctorem. E veſtigio Natarbal ſoluitur, ad Xoanum accurrunt tortores, veſtem diſcindunt, diſtendunt, vrunt, nullum ſæuitiæ ſpectaculum aberat, & glorioſum erat patrem inter ac filium conſtantiæ certamē. Natarbal cruciatu parentis exanimis, qui ſuum irriſerat, rogare ne patrem vexarent, nimio filij amore, prodigum vitæ, ſeſe eos abſcondiſſe, indicare nolle, regi ſe poſteriſque extremum hoc fidei documentum vouiſſe, quæſtionem cruentam terræmotus diſſoluit, dum ſuo quiſque metu anxius diſcurrit, trepidatque, magnanimi rei in tutum euasére, atque Ioanni Epiſcopo regiam ſobolem tradidère, ante fugam ſuam Ioannes illis theſaurū monſtrarat, hortatus vt vterentur, quem tamen integrum intactumque in magnis rei familiaris anguſtijs reddiderunt, tam ab opum cupiditate, quàm aſperitate tormentorum inuicti. In ſumma deinceps dignitate æquabili ſemper animo vixerunt, cum de pœnis apud inferos mentio fieret, cruciatuum ſuorum memores, illacrymabantur, quæ meditatio tantum apud Heroas illos valuit, nullum vt in reliquam vitam factum ab illis peccatum notari potuerit. Tanti momenti eſt ad humani ingenij laſciuiam coercendam, ſeria ęternitatis cogitatio.

Præcipua in laude Nabonezer à Maſaniſſa nominatus. Tigremahonis præfectus, cuius tanta fuit innocentia, vt viginti annis nemo ab eius ſententia appellarit, nemo regibus queſtus fuerit, eius amicitiam tyranni prenſauerant, quo cauſam ſuam populo redderent conſortio iuſti præſidis commendatiorem. Verùm ille ab ingenio ſuo non diſcedebat, officij ſui eſſe dicebat, & bonam cauſam tueri, & malam accuſare, ſi opprimere non poſſet. obſidetur igitur ab exercitu, nec modo bel- CXVII. *Oppugnatio Tigremahonis.*

lo mœnia, ſed affectus illius quoque oppugnabantur, fratres eius, parentes, conſanguineos oſtentabant, extrema captiuis minati, ni ſe dederet. Illo ad omnia interrito, quod priuatæ caritati, fidem publicam, ius iurandū, & commune bonum diceret anteponendum Tum machinis, quos mœnibus admouebāt, trepidos impoſuere, vt ſi malleolos, aut ſaxa ingentia in vineas arieteſue mitterent, aut iacula in milites ſubeuntes dirigerent, crudeles in ſuum ſanguinem viderentur. Improuiſo malo vir conſtans perturbatus eſt, trucidare parentes atque affectus ſuos dirum atque execrabile videbatur, ſinere vt machinæ impune muris applicarentur exitiale, ſollicito ac curas alternanti ſubitum auxilium oblatum eſt, centum è ciuibus peritia iaculandi nobiles ad eum conueniunt, impetrataq; facultate, in duas ſeſe acies partiūtur, iuſtoq; interuallo diſsiti, turma cui primæ ſorte obtigerant, ſagittas iacit, altera inermis, ſublatis manibus, digitiſq; diductis, ſpicula per interſtitia eorū tranſeuntia ſpectabant, mutato deinde ordine pro ſcopo ſtabant, qui modo ſagittas iecerant. neminem ars, neminē fiducia fefellit, nemo læſus eſt. verum miraculo erat, non tā ipſa peritia iaculandi illa in gente non inuſitata, quam mutua confidentia, & conſtantia: magnum animi robur, ſtrepente inter digitos periculo, non moueri, non palleſcere, ne quidem conniuere. Hi ſeſe duci offerunt, & hoſtem impium tuta inſontium ſalute vulneraturos pollicentur, iurantque errorem capitis pœna luituros, ſimul conſtituunt, qui errantes gladio feriat, Nabonezer fidem, artemque collaudat, ſine periculo tamen eſſe iubet experimenta, iniquum enim eſſe lapſum manus pœna proſequi, eorum ſibi ſalutem non minus quam parentum cordi eſſe. Verebatur etiam ne ſollicitudo nimia timorque artem premeret, trepidationem enim adfert, atque à cura perficiendi, quod præ manibus eſt, ad propria pericula cogitanda animum abducit. Audacibus ſane cœptis inimicus eſt angor, fiducia vim inſitam exſuſcitat ac promouet, timore vacui

cui certiſsimo ictu feriunt. Interim hoſtes ſecuri & inſultabundi machinas promouent, at iaculis vndique confodiuntur, haud procul mœnibus Nabonezeris parentem ſtatuerant, poſt eum tribunus hortator operis tutus conſiſtebat, minor quippe gracilior, in eum decem parati arcum tendebant, ſi quam corporis partem ad ictum proferret, notauit ipſe dux inter paterna crura hoſtis apparere tibiam, monuitque, quæ mox decem iaculis confixa eſt, Tribunus horrendo boatu vociferans omnes terruit, quaſi miſsilia à Deo dirigerentur, quare oppugnatione deſperata, operibus vrbem circumdant, fame domituri, eà victi ciues pacti vitam & fortunas Tanamarbæ ſe tyranno dediderunt. Ille ad ſupplicium Nabonezarem poſcebat, aut mille talenta, tantumque pondus auri, quantum ipſe penderet. nec abnuebant ciues tantus amor præſidis, ex iuſto manſuetoque imperio. Profeſſus eſt quiſque apud conſules quantum conferre ſtatuiſſet, atq; intra diem perſcripta ſunt mille ſexcenta talenta auri. at Nabonezer negare vitam ſuam eſſe tanti, nolle cupidine viuendi vrbem ad inopiã redigi, noctu occulto oſtiolo egreditur, remiſſoque miniſtro gratias agi ciuibus iubet, monere ſenatum tabulas profeſsionis exurat, ne tyrannus cognitis cuiuſque opibus pecuniam extorqueat, ſibi mortem pro ciuium tam ſui amantium fortunis optabilem eſſe. Vitam tamen innocentium non ex furore impiorum, verum cœleſti prouidentia dependere, eius arbitrio nutuque ſæuitiam hoſtium vel laxari, vel coerceri. Paulùm progreſſus à procubitoribus excipitur, Tanamarbæ ſiſtitur, attonito, ſilentique ergo prior ſermonem orditur. Per ſanctiſsimum numen te adiuro, ciuibus parce, leniter, iuſte impera. De me, vt voles, ſtatue. de ciuium incolumitate, & æquo imperio niſi actutũ iuſiurandum dederis, omnibus te diris hoc ipſo momento deuoueo, nec aberunt votis meis cœli, atque inferi. Horrore perfuſus tyrannus, ſcelerumque anxius iurauit. Quin deinde ſalutem Nabonezari opeſq; promiſit, ſi venia petita facto-

factorum ſe pœnitere profiteretur, & mores temporibus accommodaret. Negauit ille innocentię, & fidei regibus ſeruatæ opus eſſe venia: neque ſibi integrum eſſe, opera ſua, quæ recta iudicet, damnare. ne eadem ſententia fidelitatem, & iuriſiurandi religionem improbare, & rebellionem perfidiamque approbare videatur, nolle ſe, quod innocenter geſsit, peruersè iudicando corrumpere. Pœnitentiam de malefactis ſalubrem eſſe, de culta fide, obedientiaque flagitioſam. Primum flagitij gradum eſſe, pœnitere virtutis. mortem ſe malle, quàm ſubire tantum virtutis dehoneſtamentum. Cùm ex tyranni vultu iratum conijceret, ipſe quoque fiducia innocentiæ efferueſcens, Tuum eſt, inquit, alienam dānare fidem, qui tuam abiuraſti. ego nunquam recta culpabo, nunquam iniuſta laudauero. Tyrannum inexperta libertas exanimauit, vt trepida voce captiuo ſeſe excuſaret, animi magnitudinem etiam in victo perhorruit. Manſit verò in vrbe Nabonezer, iudicibus & præfectis ſemper formidabilis.

cxIIx. *Ædilis & Epiſcopus ex pauperibus.* In reliquo magiſtratu eadem cura, ratioque. Benirodus Garamantis libertus, Magadazæ ædilis factus eſt. Fugiente rege à ciue primario Selarathe in ſeruitutem abreptus eſt, poſtquam rerum potitus eſt Chabedus, dominum abſcondit, clam illi ſeruijt, licet pro vili & reijculo mancipio habitus: poſtea Garamanti ſeſe reddidit, ne furtum ſui feciſſe videretur: libertate donatus hortum colebat, ea conditione, vt menſæ domini neceſſaria inferret, reliqua ſibi haberet, at ille opum iamdudum, vti & ſuimet contemptor, ex prouentu illo pauperes alebat. Eadem induſtria propalas & fœneratores coercens, venaliumque rerum cura magna, pauperes verò laboribus lucroſis excitans vrbem diuitem reddidit, ipſe egens mortuus, penè regio funere, cum omnium in animis regnaret, eſt ſepultus. Nec multò poſt Aedituus Ioannis electus eſt Epiſcopus. ille primū idiota, nihil niſi precatiunculas quaſdam noſſe, templū verrere, ornare aras, ſeruire ſacerdotibus, mundare ſacram

cram

cram ſupellectilem, labores ſacros orando fallere, quæ in templo cani, aut recitari pro ſuggeſtu audierat, memoria tenebat. Tandem & literas didicit, quas quia nó venditabat, pro imperito habebatur, equidem vt rectè pieque viueret, non vt nomen eruditi venaretur ſcripturas legebat. Solus Ioannes precium viri notat. Cum Magadazæ optimorum hominum, virtute iam probatá magnus numerus lectus eſſet, ad alias prouincias itũ eſt. Non deerant toto regno multa millia, quæ mori potius, quam iniuriam inferre mallent, nec inutiles eſſe rebus agendis experientia probatum eſt.

Diſputatum deinde, regemne vno in loco reſidere? an obire regnum, ſingulaque inſpicere oporteret? Curatiſsimis rationibus agebant multi, vt vno in loco maneret, in vrbe literas, inſtrumenta publica, legatorum hoſpitia, omnia alia eſſe commodiora, eo dirigi literas, nuncios, legatos, prçſides, in itinere tempus rerum agendarum impendi, pericula oboriri, multa contingere regia maieſtate indigna. In aliam partem vtilitas publica, cognitio hominum locorumque proponebatur, verum dubitantem noua res ad maturandum iter impulit. Daſilanis in extremo regni poſitis vicini Arabes ingentia damna intulerant, præfecti vtrinque conſortio prædæ corrupti diſsimulabant. Rex audita querela Melchontem eo ablegat, vt noxijs pœná affectis, res dominis reſtitui curaret, quæ cum ageret, cunctaque regi perſcriberet, à præfectis per ſicarios occiſus eſt; nunciusque retractus, tum nomine Melchontis compoſitæ literæ, quibus accuſatores latrociniorum inſimularentur, cœteri omnes defenderentur, has tabellario corrupto tradunt, iuſſum de Melchontis morte ſilere. Lecta epiſtola rex contra accuſatores excanduit; dies dictus eſt, illi Nararbalem adeunt, ſpacium orant, dum teſtes adducantur. Interim nuncium examinant, & ambigue loquentem, metu quæſtionis perpellunt, vt fraudem aperiat. Rex cum iſta fiducia latendi fieri, & remotiſsimarum regni partium tãto agi iudicaret, nõdum omnibus com- CXIX. *Regnum obit Abiſſinus.*

N para-

paratis in viam ſe dedit. Multa in magnorum imperiorum extremis licenter aguntur, adeoque ipſi præſides aliquando inter ſe minuta bella committunt.

CXX. *Magia repreſſa.* Cùm ad Nilum vſque perueniſſet Abiſsinus, atrox facinus erupit, quodque multos annos regem ſollicitum tenuit. Magia inter paucas primùm nota, temporum licentia, ingentẽ multitudinẽ corripuit. Tyrãnis minima morũ cura fuerat, vitia tanquã peſtis, ſi remedia deſint, celerrima contagione vulgantur. Ad ædes mercatoris opulenti, quod nullæ in oppido ampliores, aut ornatiores eſſent, Abiſsinus diuerterat, excubitor nocturno tẽpore matremfamilias vnguine delibutam, in altum euolare cernit, tertia noctis vigilia redire: nec ſtrigẽ eſſe dubitabat, atque vt ſunt faciles militum animi, per iocum marito exprobrauit, ille vxori, ſaga ad negandum obfirmata, marito perſuadet, vt ſingulari certaminẽ calumniatorem conuincat, nec perſuaſu difficilis erat Schadaſſus, quod ferro corpus imperuiũ habere ſe opinaretur, hinc ſoli culpæ affinis, cæterarum innoxius: egreſſus ergo in locũ ſolum cum ſatellite dum more ſolito pugno ſeſe aptãt, tres circa gigantes apparent, haſtis in militẽ intentis, vultu minaci, nullo verborũ ſono. Eas præſtigias veratrix vxor obiecerat, territus ſpectro, cruce frontẽ ſignat, & formidoloſi illi haſtati in arundines mutantur, tum animo recepto Schadaſſum cõuulnerat, ille veniam precatus, non ſine magicæ vanitatis irriſu domum refertur. Neq; enim dæmon vel ſponte promiſſa ſeruat, neq; ad ea cogi poteſt, Deus crebro etiam eius vires inhibet, ne vel nocere bonis, vel prodeſſe malis valeat. Schadaſſus verſo in odiũ amore, vxorẽ vltro accuſat, nec illa tormentorum aſpectũ tulit, omnia crimina, omnes cõſcios edidit. Abiurato Deo, horrendis cęrimonijs dæmoni malo initiari, cõuentus habere impios, crudeles laſciuos, incantationibus, venenis, miris figuris mortes hominũ pecudumq; peragere, concire tempeſtates, fruges perdere, varios eſſe cœtus, magnasq; multitudines, varia forma malos genios ſe videndos exhibere. Magna ſuper his inquiſitio, nec vna ſentẽtia. Mul-

tis enim viſa ſunt inſomnia, & errantiũ muliercularum ludibria, nec pœna, ſed deriſu vindicanda. Terrebat iudices cognitionis difficultas, nam vel pertinacia, vel incantamentis, & dæmonum auxilio quæſtiones eludebant, alios terrebant ingens turba ſontiũ, & vel deſperatio poſſe corrigi malum inueteratũ, vel cõſideratio tot ſuppliciorũ. Multo magis mouebãt innocentiũ pericula: qui conuicti falſiq; rei in vinculis erãt, odio, inuidiaq; humani generis innocuos iuxta ac noxios accuſabant, illuſtres viros fœminaſq;. Spes inerat pœnas vitari poſſe, ſi potentibus in culpæ ſocietate iungerẽtur. His nequaquã cedendum rex iudicabat. A ſuprema maieſtate ſibi imperatum ne maleficos viuere ſineret, rebellioni, inſidiis, & regiæ maieſtati læſæ criminib. nõ ignoſci, quãto grauius puniendos, qui à Deo deſciſcunt, numẽ æternũ abiurãt, cõuitijſq; proſcindũt, dæmoniq; mancipantur, in hos ſibi gladium, quẽ ſi hebeſcere ſinat, tot tamq; atrocia crimina, in ſe domumq; ſuã redundatura. Si Magiſtratus criminibus ſit impar, non vinci Deum tamen, cum regna delere, cùm impietas victrix imperia ex tuto premit, & ridet. Hoc malũ ob inſitã humani ingenij curioſitatẽ, peccandiq; licentiam maximè cõtagioſum eſſe: quare partes cõtra cętera remedia cõtumaces ferro reſcindendas, ne ſincera membra trahant. Actum igitur cum epiſcopis, vt toto regno orationes indicerentur, pro cõcione Magię fœditas, grauitas, & diſcrimina exponerentur, libri præſtigias docẽtes vetarẽtur. In tribunalib. magna adhibita cautio. Primo correpti qui fatebantur vltro, deinde qui negare nõ poterãt, vt qui ariolando, & vaticinãdo, occulta, futurave prędixerãt, quorũ magnus numerus, & palã exercita impoſtura, deinde qui medicinã magia corruperãt, nec pharmacis aut emplaſtris, ſed dæmonũ præſtigijs, ſignis, periaptis, verborũ formulis morbos pellebãt, felicitatẽ, opes, cõiugia promittębant, in his errare leges nõ poterãt, cum publica eſſent facinora. illi igitur primũ ignibus conſumpti ſunt, niſi quẽ ætas, aut alioqui imbecillitas iudicij pœnis exemiſſet.

DeindeGenethliaci,mathematiciq́ue,quorum ſtultitia magis,quam fœdus cum malo dæmone caſtiganda fuit. Illi ex ſiderum poſitu, motuq́ue, tempeſtates, vbertatem, inopiam, fata vrbium, belli, pacisq́ue euenta, magnatum mortes, confidentiſsima diuinatione, quaſi oraculo pandebant, diaria conficiebant, ſuam ſingulis diebus fortunam, ſideribus, ſtellisq́; errantibus ſua munia, tanquam e conſilio cœleſti diuidebant. eos ad latomias rex damnauit, vt raro aſtrorum aſpectu artes ſtolidas dediſcerent, quorum amentia ludibrio fuit, quod ex tanto numero euenta aliena ex cœlo prædicentium, ſua nemo fata in æthere legiſſet, ipſa diaria, quæ Aethiopes Al-menaca vocitant, exuſta. Præcipua cura in illis fuit, qui delati factum negabant: nemo ex paucorum teſtimonio appellatus, aut in vincula coniectus, ſed poſtquam plures diuerſis ex locis, ſeorſum interrogati, de circumſtantijs, factiſq́ue conſentiebant. Atque ita malum ingens incredibili cura ac labore ſublatum.

Maleficæ ſuperſtitionis, deſertique numinis cauſam ex ignoratione veræ religionis ortam eſſe compertum. Atque adeò infirmiorem infeciſſe ſexum, atque in viros graſſatum malum. Apud Æthiopas rarus fœminarum in publicum, etiam templum egreſſus. Puellæ inter nutricum nænias, & væcordes ancillularum fabulas educatæ, prauis opinionibus imbuebantur, vitia ante diſcere cogebantur, quam cognoſcere, aut ſentire poſſet, deinde quidem religionis ſancta arcana docebantur, ſed mentem prauis occupatam, ad ſalutaria non vacaturam adſerebant. virulento ſicco principio illita pectuſcula, ſalubria quoque venenabant, virtutum fundamenta ergo in lubrico ponebantur, creſcentibus deinde in fœda, tandem in horrenda præcipitabantur. pudor in vili, ſacra fides erroribus obruebatur. Corrigendis hiſce malis inuentum eſt remedium, quod validiſsimum eſſe vſus oſtendit. Inſtituendas eſſe ſcholas puellarum, vti & adoleſcentum in concilio decretum eſt, vbi à primis vnguiculis recta diſcerent, prauis arcerentur. Raræ antea fue-

cxxi. Scholæ fœminarum.

fuerant, & crebræ in illis corruptelæ, Magiſtræ ipſæ ad illicita præibant, diſcipularum deprauatrices, & aliquando lenæ. Conſtitutum igitur vt quoniam in virginum monaſterijs multæ inſigni prudentia, pietateq; excellerent, ad inſtruendas virgines euocarentur. Verum illæ vel literarum ignaræ, vel mundum fugitantes, ſolitudini & precibus aſſuetæ munus detrectabant. Texendi etiam pingendique acu nobilium fœminarum opera ignorabant, morum autem vrbanitatem, & quæ in colloquijs quæruntur cœrimoniæ, aliena prorſus à ſua profeſsione auerſabantur. Cuique ſuum penſum à Deo diuiſum. Sibi orationem, pſalmum, in abſcondito labores eſſe, probatiſsimam quanque intra quadragenos annos extra clauſtra pedem non poſuiſſe, vix noui ſæculi linguam, nedum mores nouiſſe. Suam ſibi ſalutem aliena potiorem eſſe. nec cogi poterant, nec vtile erat. Nemo bene docet inuitus. Hac ſpe deiectus Patriarcha, denas quas tota vrbe habebat partim virgines, partim viduas, notiſsimæ pudicitiæ, modeſtiæ, nobilitatis cōuocat, quæ in conſilio decreta, quæ à ſanctis virginibus reſponſa edocet. Has ad ſexus ſui ſalutem accendit: hortaturque ne vel genere, vel ætate & opibus indignum arbitrentur, per cōtempta miniſteria animarum curam agere, puellas inſtruere. nulli videri debere abiectum, quod Dei filius præſtiterit; viris tot ſcholas, tot templa, tot ſodalitia, tot pietatis exercitia paſsim eſſe, vt ignorantia perire nemo poſsit. Fœminas, hoc eſt, pluſquam dimidiam regni partem, iuſto inſtitutionis præſidio deſtitui, nec eſſe remedium niſi à fœminis. magnopere rogare ſe, vt nouum ſodalitiū, omnium ſacratiſsimum inſtituant, cuius finis ac propoſitum ſit, teneras puellas, fœminaſque erudire, atque ad virtutem manu ducere. Veterem hunc eſſe in Eccleſia morem, iam in Aethiopia magno malo intermiſſum; poſtquam multa in hāc ſententiam diſſeruiſſet, Salomen virginem ſexaginta annos natam negocio præficit, illa complures cooptat, toto regno phrontiſteria fœminarum erecta ſunt, pa-

tuitq; breui fructus. Puellæ enim optimis moribus imbutæ, parentes, fratres, familiam ſæpe inſtruebant, factæ matres familias Chriſtiana diſciplina domeſticos in officio tenebant, maritos demerebantur, atque illis ſaluti eſſe conabantur. Erudiebatur apud Salomen Candace Abiſsini filia, ad patrem ſuo natali vocata, dein munuſculis diues reducebatur, cūm ad limen aulæ ventum, inter ſatellites quoſdam vidèt ebrios, atque à nutrice diſcit, honori illius hoc tributum, vt natali die largius haberentur. Tum in lacrymas ſoluta ad patrem reduci poſtulat, cui celeriter eſt renunciatum, ſuſpicio ſubijt, quaſi inuita ex aulæ ſplendore priuatam in domum diuerteret, venire tamen iuſsit, iamque paratam orationē habebat, quā ſuperbiam eius increparet. At Candace: Doleo, inquit, mi pater, meo natali tuos ſamulos inebriari, non ſic agendæ ſunt Deo gratiæ, qui me filiam regis naſci voluit, præſtaret ſane natum nō eſſe, quam natalem meum alijs in ruinam celebrari, ſimul adferebat Apoſtoli verba, quibus ebrioſis regnum cœlorum abdicat. Abiſsinus filiæ pietate delectatus, tum quidem rem diſsimulauit, ne tamen in poſterum infimis miniſtrorum anſa temulētiæ præberetur, ſtudioſè cauit. in magnatibus periculum non erat, tum ex virtute, tum decori cura. Seruulos ſua vilitas tutos faciebat, latebræque tutabantur.

Dum ad Nilum cuncta luſtrat, nobile iudicium de viro fortiſsimo habitum eſt. Is Nabdalſus erat; regem magno merito ſibi olim obligarat, cum enim venatibus intereſſet, Leonem qui magno impetu in regem ferebatur, ſe medium inferens venabulo excepit, confixitque. magnum illi exinde decus, opeſque, quodq; ſupra alia æſtimabat, legibus ſolutus erat, & ne in ius vocari poſſet, priuilegio muniebatur, inde primum labes, deinde exitium. Incerta ſemper eſt regum beneficentia, & periculoſa, cum nimia plerunque vitio accipientium corrumpuntur. Nabdalſus ſenſim inſoleſcere, cœteros tanquā legum mancipia infra ſeſe ducere, deinde ſūptu

prodire, æs alienũ contrahere, ad quod ſoluendũ cum legibus adigi non poſſet, fidem amittere: hinc egeſtate ad rapinas, furta, latrocinia vertebatur, quærebatque crudelitate, quod luxu perderet. Non erat in iudice cõtra exlegem poteſtas, ad regem longinquum erat iter. Ergo ad præſentem defertur, rex Samurio præſidi cognitionem mandat, qui cum miſsis apparitoribus ad dicendam cauſam citaret, priuilegio ſe alter tuetur, quod cum contra armatos inualidum cerneret, armis obſiſtit, vnum ex ſatellitibus obtruncat, cœterorum deinde cõcurſu proſternitur, pulſatuſq; & ſaucius magna frequẽtia ſiſtitur. Multa cauſantem, ac deprecantem iudex addicit, ac lege agitur, rex ſententiam confirmarat. Noua tum lege ſancitum, ne quiſquam lege ſolueretur, vt omnes magiſtratibus legum cuſtodibus obtemperarent. Cunctis priuilegia vnde peccandi impunitas naſci poterat adempta, optimo ſanè iure ac merito: Fortium virorum prœmia ſine alieno damno eſſe oportet. Nunquam virtus ſic munerari ſuos cultores optat, vt ſine metu pœnarum ſint eorum delicta.

Tambianum poſthæc nobile oppidum attigit, vbi multa correcta, multa recẽs præclara inſtituta. Vnicum totius regni publico bono ſancitũ referam: vbiq; enim gentiũ vſui eſſe & poteſt, & debet. Corrupta in vrbe ſuſtulit impudica ſpectacula & lupanaria: in illis libidinum incitamenta, in his naufragia pudicitæ. vtroque locorum pereuntium animarum victimæ, illic ornabantur, hic immolabantur. Qua die vrbem ingreſſus eſt, famoſa cædes optimæ legis anſam dedit. Darathes iuuenis nobilis, hactenus telis cupidinum inexpugnabilis, indolis probæ, mimam in ſcena ſpectarat, & formæ illecebrâ captus, non flagitium, ſed connubium vrgebat, nec ſponte theatrum, charibdin pudoris, familiarum iocoſa violentia protractus adierat. Nuptijs propinqui obſtabant, pollui veteris proſapiæ ſanguinem, noua induci probra, quæq; alia amoris auocamenta, amor dignitatis contemptor eſt, ratione non regitur. CXIII. *Caſtitati conſulit.*

N 4 Dara-

Darathes libertatem ſuam, formam ſponſæ, mores, pudicitiam obtendere. artem factitaſſe hilariorem, quam pudicæ par eſſet, at nullius probri compertam nec ſe ſuſpicere caſtitatem quam in dedecora ſuſpirantem metus, excubiæ, repagula, murique coerceant, per occaſiones in alia vota iturā, hanc quæ in familia hiſtrionis blādimentis obſiſtat, quæ ipſa ſibi cuſtos ſit, quæ proprio robore polleat, quæ ſua luce infamem domum illuſtrarit, nobili matrimonio dignam. Amor nimirum cœcus eſt, & ab ipſis dehortamentis ſui incrementa ducit, quæque remedia eſſe debuerant, morbi fomenta facit. Patruelis cum agnatū ſuccubuiſſe affectibus vidiſſet, ſubtrahere igni materiem conſtituit, nec fefellit amatorem, qui armatum, eſt oſtia cardinibus emouentem deprehendit, nec moram faciebat hinc ira, inde amor, turbulenti motus ſine propriæ ſalutis reſpectu pugnaces, ne voce quidem emiſſa, infeſtis gladijs concurritur, patruelis illa perfoſſus, e veſtigio, & ſine gemitu cadit. Alter præcordijs ictum excepit, thoracis & oſsis obiectu non letalem. Darathę Abiſsinus ignouit, vt qui mulieris qualiſcunque vitam ſeruaſſe probaretur, matrimonium vetuit, mimam relegauit. Hiſtrionibus leges dedit. Ne fœmina, neue adoleſcens fœminæ habitu in ſcenam intraret. Ne vox laſciuior, ne geſtus fractior. Ne amoris etiam caſti argumentum produceretur. Ne verſus impudici, ne vlli niſi epiſcopi permiſſu recitarentur. Nam ſi fanda infanda publice pronuncientur, priuatim facilius peragentur, & auctoritatem accipient libidines. Quin impudicitiæ & nequitiæ ſpectatores damnat hiſtrio, quos ſi ſpurco carmine credit delectari. Principis eſt officium, ſi priuatim omnium innocētiam tueri non poteſt: abduntur enim parietibus flagitia, publice ſaltem ſubmouere exempla, pudoremque tutari. Eodem die lenones & lupanaria ſuſtulit, indignum ratus eodem in regno Chriſtianæ pietatis Eccleſias, & dæmonum fana coli. Neque impiam illorum rationem admiſit, qui inter Chriſtianos ad virginum matronarumque

caſti-

caſtitatem vtilia illa illectamenta exiſtimant, vt alio libidines auertantur. Conſtat enim publicis probris infici iuuentutem, vt acrius ad illicita inardeſcat, & nequitiæ ſuæ fructum putet, ſi etiam caſtas mentes expugnet. Negabat Abiſsinus per publicum dedecus priuatæ pudicitiæ conſulendum, Chriſtianarum caſtitatem, lege Dei, ieiunijs, orationibus, labore, oculorũ cuſtodia, metu pœnarum, amore numinis, non meretricijs amoribus conſeruandam. Atque vt forte aliquando publica infamia mulierum pudori conſulatur, viros tamen, optimã ciuitatis partẽ accendi, contaminari, interire: idq; culpa principis, obiecta occaſione, permiſſaq; ſcortandi, adulterandiq; licentia. Lege igitur ſancitũ. Lenones & ſcorta nó eſſe. Illos in latomias, hæc in piſtrina dãnatũ iri. Scortationem multa arbitraria puniebat, lcui, ſi matrimoniũ contraherent, ſi natus infans eſſet, ne matrum ſcelere ſędus periclitaretur. adulteria gladio, tetriores libidines rogo vindicabat. Primo igitur duro imperio, vt multi putabat, homines pudicos eſſe coegit, mox virtutẽ ipſam amare cœperunt, laudare leges, quibus facti erant probiores. Virtus ſane quandiu cum integris, crudiſque affectibus luctatur, aſpera atque laborioſa apparet, cum eos preſsit, fregitque iucunda ac facilis.

Hæc fere acta Zembræ, Caſatæ, Zarri, Vambi, Fugij, Quaræ, Ambrani, Cothæ, Damutæ. Inde Sonam, Cemenam, Amaſenam, abijt, Tagatiumq́ue fluuium traiecit. Hic apparitores ſuos inſigni exemplo coercuit, mos ęrat, vt comitibus regijs hoſpitium gratis tribueretur, neque tamen ligna, ſal, aut quicquam obſonij. Hæc tamẽ omnia in opulentis vrbibus libere, & velut honoris cauſa præbebant, aſſucti alienæ munificentiæ milites, apparitores, ſcribarumq; gentis, annonam à rege acceptã venum dabant, hoſpitibuſq́; iam vltro graues eſſe cœperunt; quod alibi ſponte datum eſſet, id in conſuetudinẽ trahentes, & nouũ de aliena liberalitate ius commenti. hodieq; multi imitantur non infimi modò miniſtrorũ, verũ etiam nobiles, qui velut ſummũ ius vrgent, quod

CXXII. Aulæ diſciplina.

quocunque modo aliquando conceſſum, contra verba mentemq́; legis cóſuetudinem, quam ipſi vel mendacia finxere, vel per iniuriam fecêre propugnant. Ad primũ igitur ingreſſum ſibi aduentitiam cœnam deberi, diſcedentibus conuiuium, tergiuerſantibus minæ, concuſſionesq́; intentatæ. cum monere regem nemo incolarum auderet, Laconicenus præfectus vrbis Sonę, cum de ſtatu patriæ, legibus, iudicijs rogaretur, magna prudentia reſpondit. Nam iuris erat peritiſsimus, earumq́; ſententiam in pauciſsimos verſus compendio tranſtulerat. ille in conſilio poſtulauit, abrogari legem de hoſpitijs, ſtatuiq; vt regij miniſtri in diuerſorijs à ciuibus alerẽtur: iuſſus cauſâ mutandę legis adducere Reſpondit, vt paucioribus cótenti ſint, vt minis abſtineant, nũc enim cũcta extorquẽt pleriq;, rex capite ſanxit, ne quiſquam ab hoſpite quicquam peteret, & iuramentum ea de re exegit: Tum incolis multam dixit, ſi quis dediſſet. Hoc adeo ſeuere obſeruatum eſt, vt cum poſtea Daſilam rex proficiſcens nymbo ſubſiſtere ceptis cogeretur, vbi nihil paratum erat, nemo aulicorum oblata humaniter cibaria, donec rex cóſultus annuiſſet, auderet, manebãtq; intactæ vites, ficus, mori, pómiq; non modo quâ tranſirent, ſed etiam ſub quibus tetẽdiſſent: eò diſciplina laudatior, quo maior fructuum copia, & æſtu feruente ambulantium ſitis. Verum nihil eſt, quod rex bonus, ſenatu prudenti, & pio obſequens à ſuis obtinere nequeat. Illi timent omnes, illum amant, eius cauſâ & fortunas & vitam prodigunt, quid mirum ſi manus continent? Inuidiá miniſtrorum ſuorum præcipue oderat Abiſsinus, proprium dæmonis crimen dictitans. Pincernam regis ſtructor infeſte perſequebatur, vultu crimen prodebat: nã quoties vina miſcentem rex aut familiarius compellabat, aut benignius aſpiciebat, ſtructoris ora liuor occupabat, rex poſtquam id crebriuś notaſſet, ſecreto hominem vocat, laudatoque pincerna, illius opera honoratioribus in officijs vſurum dixit: illi mox bilis ſurgere, labia tremere, concidere oculi, demum calumniari collegam

gam, rex aliud non reſpondit, quam verba à vultu refutari. Latronis non intereſſe quid viator deliquerit, nec inuido cauſam, ſed ſolam nocendi libidinem adeſſe, atque ita hominem aula facere iuſsit. Quærenti deinde magiſtro memoriæ, quid cauſæ velit inſcribi, diario, quod ſtructorem dimiſerit: reſpondit: In oculis eum virus habere, dapibus noxium.

Regis iter ſermone proſequor, nec omnia recenſere fas eſt, ſimilitudo vetat, mater ſatietatis, vbique iuſtitiam, ſanctos mores, diſciplinam curabat, laboris, vigiliæ, audiendarum cauſarum ſupra modum humanũ patiens. monentibuſq, vt ſibi parceret, ac grauioribus reſeruaret, ſemper illud vſurpabat: Imperium non eſſe ſui gratia. Regem publico labori eſſe ſacratum. Secordia regum multos affligi, vigilantia iuuari. Bellone in regno Daſilano totum pene diem pro tribunali ſederat, cumq; abitum pararet, anicula ad pedes è ſolio deſcendentis accidit, tenuitque, audacem calamitas fecerat. quam cum magiſter apparitorum ſtomachabundus ſubmoueret, diceretque: Regi ſaltem cœnandi tempus concedendum, illaq; ſubijceret Præſtare regem incœnatum dormire, quam filium ſuum mori, rex denuo reſedit, cauſamq; & teſtes audiuit. Rarum etiam in mediocri magiſtratu exemplum. Seuere iudicibus edixerat, ne in audiendo tædium iramq; vel ſigno, vel voce mõſtrarent, expertus nocentiſsimos reos, ſi commotum iudicem videant, iracundiæ odioque cognitoris non meritis ſuis ſupplicia imputare. Quare Camfilum iuſtitiæ tenacem, cœteraque eximium, dignitate ac loco mouit, quod ſubito excandeſceret, orantem tamen in aduocatorum numerum admiſit, monitum iræ in iuſtitiæ ſacrario temperaret. rationem & leges ad ſuum cuique tribuendum, non furores valere. Ille tamen paulo poſt dum pro iuſta cauſa perorat, fraudibuſque ab aduerſario agitatur, furenter iratus, magna vi clamare occipit, donec abrupta per contentionem vena, multo ſanguinis vomitu animam reddidit; vario rumore, alij CXXI. *Diligẽtia Abiſſini.*

pro

pro iuſtitia obijſſe rati, cœlo aſſerebant. alij nimium iræ, iuſtitiam non recto calle quæſiſſe.

CXXV. *Vatem punit.* Tandem ad mare rubrum flexit, atque à deſerto Aegypti meridiem verſus oram totam legit, hæſitque diutius facili commeatuum ſubuectione, & ex regno aditu. Hic legem contra delatores tulit: ante in vſu erat pœna talionis, ſemper gentibus iuſta viſa. Inuidia tamen viam nocendi aliam inuenit. Rex ſtudioſus virtutis, vitijs erat inimicus, minora delicta, aut ſigno prauæ mentis æſtimabat, de quibus alijs in regijs ne appellabantur quidem, hinc æmulis arrepta occaſio non modò minima, ſed etiam ficta carpendi. Si quis hilarior fuiſſe, ſi quis iratior ſeruis, aut aliquid ſine quo humana vita non ducitur, commiſiſſe peccatum videretur, hæc & talia referri nolebat, quod etſi parua, graues ſuſpiciones aliquando gignerent. Capitales ergò delatores, qui innocentibus pericula creabant, primum deriſos, vexatoſque talione puniebat: minutos illos cloacis bis, terve mergebat, ſcarabæos nominabat, atque ita pudore & ignominia oneratos aliò ablegabat. Mathematicum, qui ex aſtris, & corporis colore, lineamentis, cuiuſq; fidem, fortunam, facta prædicebat, facetè conuictum, ſeuerè vltus eſt. Filijs regijs non profeſsione, ſed ſpe ſcientiæ cœlorum obrepſerat, minori ſucceſsionem in regnum promiſerat. ex oculis, fronte, & palmæ figuris, quæ coronam ſceptrumque ſignarent, puer talium irriſor, per ludibrium fratri, hic patri rem aperit, ille ratus ſic iaci diſcordiæ fraternæ ſemina regnis nimium nota, & improba ſpe foueri, ac maturari, tam adoleſcentibus eximere opinionem, quàm hominem vanitatis arguere ſtatuit, vſuſque hominis faceti (moriſcum appellabant) opera, Eunuchum ad eum duci curauit, cui cum multa de opibus, honoribus, matrimonio, liberiſque vaticinaretur, largiter donatus eſt. In vrbe erat virgo nobilis, ſed quæ barbitie virum exhiberet, hæc quoque iuſſu regis hominem adijt, multa donans, plura promittens, auditiſque quæ placere omnibus, quæque credere ſtulti ſo-

ti ſolent, obnixè rogauit, vt arte ſua vxorem deſignaret, nec moratus Syllenida nominauit teſte moriſco, eunuchum nempe, qui muliebri veſte indutus conſilium petierat. vtroque igitur internuncio de matrimonio agebatur. tabulas iam ſignauerat mathematicus, ſuam quoque conſtitutionem, ac fata eadem vanitate moriſco oſtenderat, longam ſibi felicemq́ue vitam, & placidam mortem pollicitus, rex ſpoliatum rebus, nudum, cæſumq́ue leonibus obijci curauit, qua de re ſermo varius, alijs ineptias tam ſæuè punitas accuſantibus, alijs vanitatis pernitioſæ, & in publicas clades aliquando erupturæ exitum probantibus. Nunquam ſanè caueri poteſt illud hominum genus, quod leges ſemper damnant, mores tuentur.

A rubro ad Aethiopicum progreſſus, Quiloam, Moſambicum, vaſtumq́ue illud littus, demum Madagaſcarem adijt. His in prouincijs perennes lites, ebrietates, veſtium luxum faſtumque præcipue caſtigauit. Litium multitudo antiquitus creuerat, nouæ cumulabantur, ita deſperationem viris etiam induſtrijs & diligentibus adferebat cauſarum intricata ratio. Abiſsinus magno ſumptu plura iudicum collegia inſtituit, qui vetera duntaxat iudicarent, ipſe hortator erat, cognitor. nec minoris putabat togatos illos labores, quàm bellicos. Sæpè ſolitus dicere: Reges in acie maiori periculo, in foro maiori tædio verſari. Tantum verò effecit, vt medio anno decem litium millia deciderentur. Ea ratione expeditum iuris curſum reddidit, bonis, æquiſq́ue conſiliarijs ac præſidibus animum addidit, malis occaſionem ademit, latendique facultatem. Nam lites etiam faciles iudicatu prolatabant aliqui, vt partes precio moram redimere cogerent. Nouos ſemper ſinus, nouas artes prædandi reperit auaritia. Maranus eorum, qui nihil darent, cauſas negligebat, aliorum procurabat, illis reſpondere ſolitus: Non te vidi, cauſam nondum legi, veni vt te videam. iam prouerbio in munerum allaturis vocem prætoris homines faceti vſurpabant. Cryſtallo

CXXVI. Ebrietas ſublata.

nihil

nihil opus eſſe, ſpecularia illi ex auro eſſe, per metallum opaciſsimum acutum videre, quibus ad regem delatis, reo conuicto erui oculos, boniſque exutum mendicare illudentibus vrbanis, ſtipemque petenti obiectantibus toties audita verba: Non te vidi. veni vt te videam. Videſne? qua contumelia deiectus regem orauit, vt mori iuberet, probriſque ſubduceret, qui miſeratus hominẽ, in libera cuſtodia aluit, adiriq; à conſulentibus permiſit. Madagaſcareni finitimæq; gentes in vinum pronæ, etiã paruulis ingerunt, ſi cupidè ſorbillant, ſtrenuos augurantur. Hi tum mores, dies conuiuijs agere, æſtu ſolis vitia iuuabantur. Hinc morbida corpora, hebetes pueris, attonitæq; mentes, & conſilijs inimica leuitas, diſceptationũ fuga, pleriſq; pinſendi, fodiẽdi, remigandi leuior, quàm diſcendi labos. Tantum ab humano ingenio degenerarant. Vrbium cultiſsimæ in lucra omnes induſtriæ vires abſumebant. Præſides indulgebant, ſtolidis & ſagina torpentibus imperari ſecurius rati. Nihil auſuris, & ſi audentia ſit, conſiliũ defore. Verum alia mẽs regi, qui populum prudentem, æquitatis & beneficiorũ intelligentem ſemper maluit: regem enim hominũ ſe, non pecorum eſſe. Quibus nulla induſtria, nulla futuri cura, nulla præſentium parſimonia, nec regibus vtiles, nec hoſtibus formidabiles eſſe. dũ illa diſputantur, nuncius è Taprobane adfertur, præſidem à temulentis per laſciuiam occiſum. Improbi erroris pęnas iuſtas ille dedit, voluptatibus enim, & comeſſationibus corruptos, paupereſq; non imperij duritia, ſed lenimẽtis effecerit, ratus molles imbelleſq; extera imperia facilimè toleraturos. Die feſto igitur; dum laſciuiẽtium diſcurſibus ebria ciuitas perſonat, piratæ non ignari vrbanæ luxuriæ portum inuecti, vrbem penè occuparũt, niſi milites iuſta diſciplina habiti mãturè portas clauſiſſent: ciues ad arma conclamant, temereq;, prout vina dabant animos, ſine ordine procurrunt, portas effringunt, multum etiã cum lacrymis deprecante pręſide, nec mora, à piratis cęduntur, ſine duce turba erat, nec durabat ad vulnera impetus,

petus, ad futura pericula audaces, cum aderãt pauidi, ac fugaces; fugientes miles ad portam excepit, & tutatus eſt, at hærebant tergis piratæ, metuſq; erat, ne ſimul irrumperent, quare occluſis portis poſtremi ad lanienam relicti ſunt, qui intra vrbem erant, ingenti væcordia, alij arma parabant, alii cum vulneratos cernerẽt, qui redierant, latebras petebant, plurimi vino ſepulti, altera primum die quid actu fuerit, intellexerunt. Quidam è fugientibus forte fortuna in agmen laruatum incidit malè ſobrium. Et vos ô ciues ludicra agitatis, & ferro ſaxa immerita cæditis, interim cognatos veſtros præfectus vrbe excluſos in hoſtiũ manibus deſtituit. continuò in ædes præſidis impetum faciunt, ipſum inauditũ concidunt, domu diripiunt. Altera die dolor, & pœnitentia, metus à rege, cędis auctores in vincula conijciunt, vicarius præſidis monet, præterita quę infecta reddi nequeant, noua modeſtia, officijſq; corrigant, ad regem legatos deprecatum mittant. Se quoq; preces adiuncturum, furias Bacchi fuiſſe, non imperij contemptum. Verebatur ne metu defectionem cogitarent, totamq; inſulam cõmouerent. Tres è primoribus legati deſtinantur, quorum duo vrbe abfuerant, tertius domũ præfecti defenderat. Horũ aduentus in ipſam de ebrietate tollẽda cõſultationẽ incidit. Legati mox è naui, vt erant ſqualidi, triſteſq;, Maſaniſſam ſupplices adeunt, humũ proiecti, flentes, cęſariẽq; puluere fędãtes, vellẽteſq;, veniã patrię rogãt, atq; in conſpectũ regis vt admittantur, obſecrãt. Maſaniſſa miſeratus afflictos, bono animo eſſe iubet, eãt ad diuerſoria, curẽt corpora, paratiq; ſint, ac animo preſenti, vt vbi à rege vocati fuerint, cauſã miſerorũ ciuiũ perorẽt, cõtinuò regi indicat adeſſe Biræněſes, commiſſum per imprudentiã delictũ deprecaturos. à cęna miſſus ſatelles, qui ſupplices adduceret; anxius enim rex ſtatũ inſulæ cognoſcere auebat. at barbari more patrio cęnarant, iamq; poſtcenia agitabant madidi, vocantẽ tamẽ ſequũtur in regiã. vbi turpi vacillatione corporũ, & linguæ titubatione riſũ aulę mouiſſẽt, iuſſus dicere ſenior:

vinum ac-

accuſare cœpit, illo ciues proditos hoſtibus, illo ceci-diſſe præſidem, vino mentem excuti, vino linguam ſolui, audituſque diu eſt, atque inconcinna & inepta proferens, deridiculo fuit, donec ad regem conuerſo ſermone: Neque te arbitramur, ò rex, mero domitum, tenuiſſe conſtanti mente ſapientiam, tam forti Deo etiam reges impares. Talia iactantem ſatellites ſubmouent, Maſaniſſa regi factum exponit. Altera die miſſo ad ſobrios ſcriba increpat Maſaniſſa, haud leue crimen eſſe, ſupplices rege coram temulentos indecora verba fuctare, de vita ipſos periclitari, qui ſupremę in terris maieſtati proteruè illuſerint. excuſabant illi factum: Iuſſos ſe curare corpora, mandatis Maſaniſſæ paruiſſe. neq; ſibi in mentem veniſſe, fore, vt à cœna ad regem vocarentur, tempus illud lætitiæ, non ſerijs deberi. Ante prandium ſe ægros, à prandio ſtultos eſſe. Non oportere regem illis moribus iraſci, quos præfectus regius induxerit. Illius hanc eſſe diſciplinam, ebrioſos illi caros, ſobrios velut hoſtilia meditantes ſuſpectos fuiſſe, neq; vlla re magis illum delectatum, quam ſermone libero madidorum, in quo arcana cordis perluceant: Nulli Biræneuſium eſſe dubium, voluntate, & exemplo regis ciuitatem illam eſſe Lyæo dedicatam. Quid rex ageret? auctores cædis ſupplicio affecit, ciuibus ignouit, præſidem nouum miſit, temperantiæ leges fixit. Primò quidem cauponas, domicilia publicarum comeſſationum ſuſtulit: ſuam cuique domum vitæ, ſomni, cibi ſtationem eſſe voluit. Diuerſoria peregrinis tantummodò conceſſa. Sic aberant illecebræ & inuitamenta temulentiæ, cauponumque, difficiles vitatu fraudes. Deinde, ſi quis in publico ebrius appareret, pœna erat arbitraria pro modo opum, ſi quid per ebrietatem peccaret, multa geminata. Ac primum hoc obtinuit, ne gloriæ ſibi ducerent voluntariam amentiam mortales, deinde vt etiam probro eſſet, vſqueadeo, vt ad teſtimonium dicendum ebrioſi produci non poſſent: ea cautela opinione facilius inueteratum vitium à rege abolitum. Deni-

que

que cuius in ædibus mero quiſpiam nimio rationem poſuiſſet, paterfamilias pendere pœnas iubebatur, ita nō vnum modo vitium, ſed in vno multorum cauſas ſuſtulit.

Mirum quantas ea ſanctio querelas pepererit. Venter aures non habet, at caput ebrij nō magis quam venter rationem. Caupones ſua detrimenta lugebant, chirurgi medicique, non iam rixas & vulnera quotidiana eſſe, nec tantum artis ſuæ precium. qui areas, & atria ſaltatoribus locabant, deſerta tecta flebant: cantores, tibicines, totum hoc genus mœſtum ac ſolicitum agebat, abolita nequitia ex qua viuebant. Horum quærimoniæ æquitatem, neceſsitatem, ſanctimoniam legis accuſando, confirmabant: Nobiles, vicorum Domini ſerio regios conſiliarios admonebant, temperantiam ſibi ac regi damnoſam, temulentiam lucro fuiſſe. Ex ea contentiones, conuitia, pugnas quotidianas, ac proinde multarum vberem meſſem, qua regium ærarium nunc priuetur, at etiam vilitatem vini, triticique copiâ nimiâ intolerabilem eſſe. improbæ omnino querelæ. Nolle impediri ſcelera quæſtuoſa, velle animarum exitio ſua lucra augeri: Eos graui edicto rex increpuit, deteſtabilius, quam ipſi ex quorum delictis quæſtum faciebant, peccantes. Sed neque Reipublicæ, neque priuatis tam turpia lucra vtiliora eſſe, quam illa quæ ex ſobrietate ac temperantia honeſte quæruntur. Non iam vini tertiam partem in regno abſumi, totum id, quo morbi, inopia, cædes, ſubitæ mortes, mille malorum cohortes ingruebant, foras euehi, diuendi externis, aurum merceſque inferri, & regem, & ſingulos opulentos fieri. Se pro viro nobili non habiturum, qui non & ipſe ſine vinolentia vixerit, atque in eum ordinem rationes domeſticas redegerit, vt ſine alieno flagitio ſumptum ſuſtinere, alere familiam queat. CXXVII. *Contra patronos ebrietatis*

Porrò in Arabiam progreſſus, rapinas, & latrones compeſcuit, dein penitus aboleuit. Nam gens Arabum in finibus agitans prona eſt lacrocinijs, ſinum rubrum, XXIIX. *Vſura ſublata.*

Perſicum, & mare magnum attingit, inde commercia, & omnium populorum vitia inuehuntur, à Septentrione perpetuos hoſtes ſortita eſt Arabiæ deſertæ incolas, nomadas, raptu viuentes, felicium opibus infeſtos. Rapinæ porro felicis Arabiæ duplices, fœnoris, & violentiæ. Vſuris patriam exhauriebant Iudæi, qui è Palæſtina Syriæ, Perſide, Petrea, Idumæa, deſertoq; Pharan in beatiorem terram migrarant. Sæpè malum hoc edictis regijs, & pœnis repreſſum, occultis artibus redibat, ſeque inſinuabat, cum in fortunas irrepſiſſet, lenta contagione, & velut tabe conſumebat. Ignorantia aut diſsimulatione præſidum integros pagos, oppidaque comprehendebat. neque exitiabile malum rex accuſatione, aut delatione cognorat, latendo inualuerat: illis duntaxat notum, quos vel implicuerat, vel quibus commodo eſſet: ipſi ſe Iudæi prodidére, aduenienti regi ingentia, raraque munera obtulerant, maiora etiam conſiliarijs, à quibus cum non reciperentur, totius Arabiæ annuum prouentum illa pecunia coemerunt, atque Abiſsino dederunt, in omnem vitam aromatum ſatis eo dono accepturum. Hinc orta admiratio, vnde genti peregrinæ, ſordidæque tantæ opes. agros non habebant, negociatione tenui vtebantur, crumindia, & vilem ſupellectilem circumferebat. Interrogatus Nathan ex Iudæo iam olim Chriſtianus, perfidæ gentis fraudes, aſtumque expoſuit, & latentia Reipublicæ vlcera detexit. Gens mea, inquit, à primis annis fœnus, impoſtoras, & damna Chriſtianorum meditatur. Pueri in cunis vſuras exercêt, Chriſtianorum liberis poma, nuces, denariolos obtrudunt, pacti in diem alterum, aut menſem additamenta, pignora capiũt, bullas, faſcias, inaures, thura, ſtacten, diſcos, cochlearia, quicquid aut pueri habêt, aut ſublegere domo poſſunt. Parentes vt quemque egentem, aut decoctorem inuenerunt, ſumptum ſuppeditant, centeſimam exigunt, ſi ad calendas debitor non occurrat, crudeli anatociſmo fœnus in ſummam referunt, idq; ſuo arbitrio, pignora cum redimi nequeunt, minimo æſtimata te-

ta te-

ta tenent. Monopolia perpetuò exercent, annonam flagellant, quodq; iniquiſsimū eſt, & lucroſiſsimum, fures, raptores, latrones, receptāt, prædas vili cōemūt, care diuēdunt: nullū nefas putant, ſi lucrum ſit. Nec illis deeſt vnquam pecunia. Opulenti ciues, nobiles, etiam magiſtratus per illos fœnerantur, ſunt egentiores Iudæi Chriſtianorum propolæ. Hinc adeò valida factio eſt, vt potētia impiæ ſocietatis veritas opprimatur, nullus queritur: qui obnoxi ſunt non audent, qui participes, obſiſtunt: quibus nihil cum profana gente eſt negoc j, nolūt vtriuſq; partis odia contra ſe irritare. Hic metu legum ſoluta dominatur vſura. Hinc tam grandia tibi munera pararunt, vt expilandi cœteros obtineant facultatē. Dona illa ex furtis, rapinis, ſudore, & ſanguine Chriſtianorum, ſunt magnarum opum reliquiæ, quas recondunt. Per hæc ad Præſides, iudicesq;, quin imò ad epiſcopos irrumpunt, & legib. ſilentiū indicunt. Vin'tu huius rei videre experimentū? Iudæorū potiſsimū? hic eſt, Abeſſolomus, homo nefarius, oſor omniū hominū, ſui tantū generis amator, ante biennium ciui egenti, (Iuſto nomē eſt) mille drachmas mutuo dedit, cā pactione, vt ad diē dictū pollicē ei amputare liceret. Inopia Iuſtū ad miſerā ſortē adegit, faſtus alterū ſæuum effecit, nō enim pollice cōtentus, venenata ſeceſpita ſecturum minatur, tam rapida ferrū peſte illeuiſſe gloriatur, vt momento brachiū, corpusq; tabefactura ſit. Ea lis nūc in iudicio verſatur, nō vt ne pollicē amittat, ſed ne ex vno vulnere nō megnæ partis totus pereat: quo ferro iniuria inferatur, diſceptatio eſt. Hanc tu cauſam ad te reuoca, domū Iudæi occlude, ipſum in cuſtodiā detine, noua & inuſitata cognoſces. Cōſtituta die rex pro tribunali ſedit, capitis damnatur Abeſſolomus, opes illius partim fiſco, partim Iuſto addicuntur, at tempore quod inter ſententiam, & mortē intermedium fuit, Iudæi omnes precibus, doniſq; agere, rex ad cōſiliū cauſā reiecit, monitis ſenatorib. ne oratorib. ſpē præciderēt, neu munera abnuerēt. Tū verò diuitiæ Iudaicæ detectæ, mille talenta data Iudicibus.

At fœneratorum Chriſtianorum alia cura, morte Iudæi non mouebantur, aurum quod dederant, ne fiſcus raperet, ſatagebant. Sexcenti ſupplicum libelli oblati, dedecus vulgabant. Paulò poſt è manuum pedumque pollicibus ſuſpenſus Abeſſolomus dona conſortium fecit irrita: Chriſtianis, quorum aurò vetitas negociationes tractarat, & hoc ablatú, & noua inſuper indicta multa, Iudæi Arabiâ pulſi. Senatus regius munera ſponte in commune contulit, cui addita Abeſſolomi pecunia, duo millia talentum efficiebat, ea in vrbis ærario publice ſeruata, & ſine vſura mutuo egentibus data, modo leges iuxta ſatisdarent. Fœnus capitis pœna vetitum.

cxxix. *Viaſ ſe curas reddit.* Maius opus raptores, viarum inſeſſores, piratas tollere. armis & milite itinera tutanda, leges in eos nihil poterant. Igitur omnibus locis perquiſiti, & nonnulli inuenti aliorum latibula prodiderunt, pronunciata in capita latronum magna præmia, etiam ſocijs venia, & ſi quem ex ſuis occidiſſent, grandior merces. cùm igitur nuſquam tuto cóſiſterent, cum ſocios quisque metuetueret, alio fugerunt. E captiuis cognitum pleroſque ſpoliatos, vel vſura oppreſſos, vel iudicia timentes, vel in exilium pulſos, in id vitæ genus deueniſſe. Multi ex his auribus mutili, vel ſtigmate inuſti meritorum indicia deferebant. Pacata in præſens regione, de futuris conſultatum. Viſum autem ſenatui eſt; Neminem qui citra mortem deliquiſſet, aut perpetuo carcere, aut exilio damnare. Minoris noxæ reos ad temporariam, aut perpetuam ſeruitutem damnare. Alios ad triremes, alios ad agriculturam, marmorarias, aliaque opera. Deinde placuit neminem ocioſum eſſe, neminem mendicimonio viuere. Ita neque paupertas ad illicita pertrahebat, neque ocio flagitia fouebantur. Senes debileſque leui & ſedentario opere exercebantur, qui nihil poterant, à ſua quiſque ciuitate, pagoue alebantur, præcipue regiæ liberalitatis donatiuo Piratæ in mediterranea abducti, compedibus vincti, terram exercebant, tantam multitu-

tudinem trucidare, etſi extrema meritam, clementia vetabat. Hic ingens periculum rex adijt: Arabs, cuius filij ſuſpendio perierant, vlciſci ſtatuit affectus ſuos. ergo regem inter ſupplicescompellat, vt libellum legenti mucronem infigeret. Abiſsinus ſui diſcriminis inſcius, dum ſolita verborum comitate, ac vultus ſerenitate venientẽ excipit, & cauſã eius ſibi cordi fore pollicetur, animum ſcelerati hominis mitigauit, atque in alium facinus auertit: inſecuta enim luce eadem arte iudicẽ occidit: eum cauſam orbitatis ſuæ queſtus, quod ſupplicẽ vultu toruo, verbis aſperis ſubmouiſſet. Humanitas facilitaſq; principum virtutes amabiles facit, ingrata eſt, quamuis diuina, etiam quibus prodeſt, moroſa virtus. ſermonis aſperitas odium parit, & contemptum. Nemo bene de eo loquitur, à quo conuitium audiuit, aut manu, aut ore iniuriam rependit.

Obito per maximos labores regno, terreſtre in Cõgum iter ſuſcepit, quod quia monarchiæ extremã partẽ claudebat, atq; ad occiduũ latus reges potẽtes habebat, magna cura communijt, opportunis locis arces exſtruxit, colonias deduxit, Manicongianorũ multa millia in alias oras tranſtulit, agroſq; dedit, qui in regno relinquebantur, interpoſitis Aethiopũ vrbibus & caſtellis, cõuenire non poterãt, ex illo regno maximos delectus agebat, vt quicquid animoſũ aut turbulentũ eſſe poterat, alio verteret, diu illi ſub ſignis habebãtur, donec vxore peregrinis in terris ducta, quæſitaq; re, alienũ ſolum pro patria amarent, Aethiopes etiã cum Manicongianis connubia ſociabant, atq; ita ſenſim in vnam gentem linguamq; coaleſcebant. Arces nõ nemo diſſuadebat, quod ſi ab hoſte caperentur, haud facile recuperari poſſent. Quin tu, inquit, nudus pugna, ne clypeũ hoſtis eripiat, arces, ſcuta regnorum, colonias, loricas ac thoraces vocabat. Illo in regno frugum fœcundo annonæ ratio perpetuas diuitum ac pauperũ controuerſias excitabat. Nã ſi quando vel tempeſtate, vel ſocietate, vel locuſtarum appulſu, (familiare id Africæ malum) meſsium inter- cxxx. *Manicõgum profectus.*

 cepta

cepta ſpes fuiſſet, diuites conſenſu granaria claudebant, tanta crudelitate, vt alimento paucorum menſium agellos, ædes, merces opponere cogerentur: quin etiam in ſumma vbertate annonam accendebant, mutua conſpiratione. Nec regi, nec a ijs mitiora ſuadentibus parebãt, iuris eſſe, vt res ſuas quiſque vel ſeruet, vel ſuo arbitratu alienet, cum ceſſuri non viderentur, rex frumentum quod ex Zanziberc aduehi curarat, viliſsimo precio védi curauit, famamq; vulgarunt regij procuratores, ducentas naues parari congianis paſcendis, tum vero Dardanarij liberales eſſe, orare regem, ne peregrinas meſſes in tam vberem glebam inferri ſinat: ne fertilitatis externę fiducia incultus ager ſqualeat. Ipſe frumenti precium ponat: ac leges in poſterum ſanciat. In illum annum precium eſſe voluit, quo ſuum ipſe vendiderat. non op r- tere illos meliore conditione eſſe, quam regé, monebat.

Leges deinde ſalubres edidit. Vt arbitri à prorege cõſtituti precia cibariorum in ſingulos menſes edicerent: Hæc perlata non eſt, metu ne muneribus corrupti prauo arbitrio æſtimationem facerent. Melioribus igitur legibus ſubuentum. Nimirum vt patresfamilias quando frugum copia eſſet, in biennium cibaria reponerent, ne ſubito malo fames orir etur. Deinde vt vrbes, & in illis negociantium, atque artificum collegia, in tres annos triticum in horreis ſeruarent, neque quamuis magna penuria carius venderent, quam emiſſent, addita ſolum in modium drachma. At neque illis legibus auaritia cõerceri poterat, hiſce enim ad emptionem obligatis, tanto carius venditores fruges æſtimabant, vt vna æſtate trium annorum lucra penſarent, ad artes igitur rex compellitur. Primum regios agros quos diuites arabant, & aureum in iugera ſingula pendebant, ipſe colendos recepit, deinde pauperioribus ſed induſtrijs elocauit, pacta dimidia frugum parte. Deinde cauſatus opus eſſe multo pro milite, pro arcibus frumento, tranſegit cũ cœteris cultoribus, qui proprios agros ſeminabãt, ne pecuniã, ſed fructuũ octauam redderent, ita olim vſitatum fuit, cũ

Con-

Congiani à proprio domi rege gubernarẽtur, Aethiopes aurũ maluerãt. Tertio vt excisis dumis, ſiccatis paludibus, repurgatis labore teſquis, quiſq; ſibi noualia pararet, ex quibus regi quintã partem redderent. ita rex vim maximam in ſingulos annos colligebat, faciliquc precio vendebat, exemplũ aliqui ſequebantur, verecundia, alij neceſsitate, quod non eſſet, qui plura daret. Hinc magna rerũ mutatio, venaleſq; agri, quorũ poſſeſsio ad paucos dominos iniquitate temporũ deuenerat, quorũ in poteſtate totius regni cõmeatus erat, qui pro arbitrio annonã iactabant, nunc cũ immenſo lucro, & regno frumẽtario deiecti eſſent, damna cœli ſentirent, latifundia minuerunt, venditiſq; agris iam plebes ſuis meſsibus viuebat. Singulis tamen menſibus, precium ſtatutum eſt, quod excedere non liceret, verũ id magnũ erat, vt ne deceret quidem accedere. Nempe ſi modius tritici ſex drachmis venderetur, lex erat: Ne eo menſe, quiſquam carius quam ſeptenis licitaretur. Nam ante illud tempus, ſubita incrementa venditores inducebant: atq; aliquando, ſi calendis ſeptem drachmis emeretur, idibus totidẽ aureos poſcebant. Hoc etiã cupiditaté coercuit, regius ſcriba nũdinarũ tẽpore in foro obuerſabatur, & quo quiſq; precio vẽderet, annotabat: ſi quis tribus nũdinis cõtinuis aliorũ precia ſuperaſſet, foro abeſſe toto anno videbatur. Deniq; vetitũ ne quiſpiã niſi in quatuor annos fruges recõditas haberet. Ita rei frumentariæ proſpectũ, & quieti publicæ, quæ nulla re magis, quã fame turbatur.

Florente iam regno, cum amore ſuorum domi, foris auctoritate, metuq; ſecurus ageret, maiorẽ natum filiũ, quem de patris nomine Moſambum dixerat, in Manicongi regnum, vt patris auſpicijs, ductuq; imperare diſceret, proregẽ miſit: vix eo venerat, cum legati adſunt à gente Nigritarũ, regemq; ſibi dari poſtulãt. Tombutus rex, dum bella meditatur, & finitimos ſubiugare, more barbarorũ, qui alienos opprimere regiam virtutẽ arbitrãtur, ſuos offendit. Senega nobilis ad Nigrũ flumẽ ciuitas, in magnis annonæ difficultatibus cum inſuper *CXXXI. Nigritarum rex caſus.*

magna acerbitate tributum exigeretur: furijs incenſa imagines regias deijcit, in fluuium cum quæſtoribus mergit: mox bellum & obſidio, acer animi Tombutus apparatum accelerabat, cum ſe impares regi viderent, nec aliunde auxilium ſperaretur, conuerſi ad preces, in paucos rebellionis cauſas conferunt, maximam partem innocentes eſſe, aliaque leniendis iris idonea. Callidus ſimulandi Tombutus, clementer allocutus legatos: non ignorare ſe nihil actum conſilio publico, impetu paucorum tractam eſſe hactenus innocuam, fidamque multitudinem, auctores ipſi puniant, obſides mittant, arma tradant, contra regiæ maieſtatis dignitatem eſſe, ſi cum armatis ſubditis pacem cõponat. Quicquid armati impetrent, extortum videri, inermes clementiã mereri, neç mora, imagines nouas reponunt, paucos quoſdam qui auctores habebantur in flumen præcipitant, obſides mittunt nobiliſsimos ciuitatis, arma tradunt, quod furorem lenire debuit, accendit. Rex enim tutum ratus quiduis imperare exarmatis, miſit, qui iuberet omnes cum liberis & vxoribus, cum ſingulis veſtibus exire, vrbi ſe meliores ciues daturum. Aurum etiam argentumque efferre vetuit, conſtituiſſe ſe, qui ea ſcrutarentur, tum ne res precioſas quiſquam deſoderet, abſconderetque, non defore ſibi inueſtigandi facilem, ipſis lacrymabilem rationem. Ea mandata cum in ſenatu lecta eſſent, mœſtum ſilentium, deinde comploratio lacrymæq;. At Camber princeps ſenatus, Cambræ, quæ in hodiernũ diem floret, conditor, petito ſilentio. Merito mihi regis ſuſpecta lenitas fuit, quo euaderet, auaro nullæ ſpes, offenſo nullum ſupplicium ſatis eſt. Nos vt vilia mancipia diuendet, opes rapiet, vrbẽ denique, domosq; ſub haſta diſtrahet. Toleranda iſta, quia ſolita, Regũ ira nunquam mediocri pœna contenta. Leo nunquã ſçuit citra lacerationes & mortẽ. At vero de recõditis theſauris quæſtiones ea ſupplicia minãtur, quæ morte redimenda ſint. Faceſſant lacrymæ, & querelæ, in irã vltionemq; animus inſurgat: ſi mihi obtẽperatis, arma

ma-

manuſq́; inueniam. Cóclamatũ, ageret quæ vellet. mox è ſenatoribus centum armorũ fabricandorum præfectos delegit, occluſis portis, populo regis crudelitaté exponit, quicquid in vrbe, ferri, chalybis, æris, in commune deportari imperat, atque noua arma fabricari. muniri omnia, naues expediri: nec minus tamé legatos deprecatũ mittit, ne ſuſpicionem moueat tarda obedientiâ, primo aptatæ ſudes, verua, & quicquid haſtarum ſpeciem habebat, fundæ, lapides, cœtera deinde fabrefacta. cum parata eſſent omnia, noctu facta eſt irruptio in caſtra, quæ vt pote contra ſupplices, & inermes incuſtodita facile fuit obruere. Tombutus cum filio in tentorio interfectus eſt, fugati cœteri, Senegenſes ingenti præda potiti, cauſamq; agentes in conſilio non modo veniam obtinuerunt, ſed etiam ne regem in poſterum vllũ agnoſcerent. Verum mox ortę diſcordię inter vrbes, atque adeo magnates breuiſsimæ libertatis celere odium creauére. nec facile diuturnum eſt plebis, aut optimatũ imperium, ambitus & cupiditas altiore metu premenda eſt. Dum igitur factionibus laborant, in vnicum conséſére remedium, vt Abiſsinũ aduocent, leges ab eo, deinde regem accipiant: nec abnuit iam ſenior alienis conſulere, Moſambum in Aethiopiam reuocat, ſucceſſoré deſignat, & regni habenas, ſe abſente, in manus tradit, filium iuniorem Barchæum, quem illis regem deſtinauit, in comitatu eſſe voluit. Triennium expeditio tenuit, mores barbaros feroſque emollijt, legibus regnum cóposuit, domum deinde rediens defunctus eſt.

Poſtquam de morbo regis vulgatum eſt, mœſtũ toto regno iuſtitium, iniuſsi fora, templa complebant, nó veſtiũm decor, non conuiuiorũ apparatus, vt quiſq; alteri obuius, aut notum, aut tabellarium viderat, de ſalute regis quærebat. Nihil adulationi, nihil famæ dabatur, vero quiſq́; dolore lugebat. Nulla maior virtuti laus, quam publicus luctus tribui poteſt. Lacrymæ gemituſque principem amantium ſuprema eſt veneratio. At poſtquam mors vulgata eſt, tum eiulatus, clamoreſq́;, cxxxii. *Mors Abiſsini.*

 pri-

priuatim quiſque velut parentes aut filios lugere, templa, domos, vrbium portas triſti velare panno, preces fundere, biennio durauit leſſus, nec deſiere per ſequentes annos quinquaginta, ſepulchrum eius ornare floribus, ſertis, ſerico tegere. Multa ægrotantis, ac morientis dicta celebrantur. Præcipua ſacræ confeſsionis cura, multę preces ac lacrymæ: adeò, vt vi doloris ac pœnitentiæ medici morbum grauari cenſerent, iuberentq́; temperare mentis ardorem: ſed Deo illę hærebat, iam tempus miſericordiæ eſſe dictitans, iudice propinquo magis premi ſe, atque angi criminum ſuorum recordatione. Epiſcopo hortanti, vt ad extremum certamen contra dœmonum infeſtos conatus animum firmaret: Euchariſtiam ergò, inquit, adfer, ne ſolus pugnem. adorato deinde, ſumptoque Sacramento, nullos, niſi de propitiando numine, vitaq́; beatorum, ſermones admiſit. medico ſpem vitæ certam danti, reſpondit. manere metuo, exire geſtio. aſſeueranti, pulſum arteriæ fortem eſſe: nam ianua regni cœleſtis, inquit, violenter pulſanda eſt. Rogatus, an animum eius aliqua moleſtia angeret: Oranti moleſtiſsimam eſſe recordationem, quod multorũ preces crebrò neglexerit, aſperius reſponderit. quanquam id poſt reditum ab exilio nunquam feciſſe meminerit. Pſalmos Dauidis quotidie cani, vel legi audiebat. Si quando acrius dolor vreret, gratias Deo agebat: cùm intelligeret multos pro incolumitate eius orare, vitamq́; Reip. eſſe neceſſariam. Deum negauit egere homuncionis opera, qui de lapidibus poteſt facere reges. Iam propinqua morte palleſcens, frigidum ſudans, hiſtoriam Chriſti patientis prælegi iuſsit, cumq́; ad verba Domini morientis ventum eſſet, ipſe dicta lectori prę̃ripiens, In manus tuas Domine, inquit, commendo ſpiritũ meum, ſimul omni motu, vitaque caruit.

CXXXIII. *Teſtamẽtum Abyſſini.* Teſtamentum ſanus confecerat, initio morbi recognouit, iterumq́ue ſignauit.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Teſtamentum condo, quod & regia, & patria auctoritate validum eſſe iubeo. Re-

Regi ſæculorum, immortali, & inuiſibili, ſit honor, gloria, gratia, qui me vocauit in ſocietatem filij ſui, Domini noſtri Ieſu Chriſti, Dei & hominis. In ea fide animam meam, tot malis obnoxiam, tam bonis vacuam miſericordiæ redemptoris commendo. Corpuſculum meum ſepulchro, quod ad mortis memoriam excidi olim iuſsi, recondi volo, idque plebeio funere. Sumptus autem in pompam, & alios funeris apparatus expendi ſolitos, donari pauperibus, vt adiumento ſint animæ meæ, & viuentibus ſolatio. Moſambo filio primogenito regnum, & omnia mea, velut hæredi ex aſſe relinquo, & ergà Barchæum fratrem eius, filium meum ſecundò genitum, qualem ego ergà vtrumq; habeo, perpetuam caritatem. Barchæo filio, regi Nigritarum, lego in annum quingenta aureorum millia, & duas in regno prouincias, quas Moſàmbus voluerit. In homicidas, veneficos, iniquos iudices, qui carcere tenentur, ante exequias meas, legibus agi iubeo, cœteris donari vitam, etiam mortem meritis, & cuſtodia liberari. Indis, qui latrocinijs Taprobanen infeſtant, bellum inferet Moſambus, aurum, & commeatum iam ſepoſui. Manichæos & Arrianos inquiret, exilio, aut alia pœna multabit. Eleemoſynas, largitiones, legata Eccleſijs, quæ ſeorſum libello complexus ſum, ſine mora dabit.

Vobis ò filij commendo Eccleſias, & eorum qui mihi fideles fuere, liberos.

Deinde officium veſtrum, vt benè regnetis. Hoc eſt, ſumma cura, labore, cœleſtis maieſtatis gloriam, ſalutem ſubiectorum, non veſtra commoda, non voluptates quæretis: Rex, pater eſt multarum gẽtium, omnium & ſingulorũ vtilitatibus obligatus, vt omnes ſeruet, nõ vt populorũ dãnis paſcatur. Labores regij ac vigilię, vti ſolis motus, totis prouincijs vtiles ſunt. Quod priuati meditantur, faciuntque, anguſtis finibus includitur, regiæ actiones fructum latiſsimè fundunt. Nomen regium honoris eſt, res ipſa immenſi, ſed fructuoſi laboris, quã

hereditatis nobiliſsimam partem vobis indiuiſam relinquo. Iuſtitiæ tuendæ præcipuè ſacrati regnatis, eam omnes oppugnant, qui alieno detrimento quæſtus ſuos perſequuntur, eorum maxima pars eſt, neq; extra ſortem ſemper iudices, præſideſque. Tanto cupiditatum flumini, tam rapido, reges penè ſoli obices ſtatis, niſi infirmitatem veſtram validis, inuictiſque conſultorum & præfectorum ſubſidijs ſulcitis, iniuriæ multorum cedendum erit. Neutrum extollat poteſtatis magnitudo, potentium cruciatuum, niſi excellenti virtute exerceatur, prænuncia, ac machinatrix. Quem turbo, fluctuſve ſublimem tollunt, periculo attonitus ad humilis vertitur preces, non inſoleſcit. Vitam vobis lego caſtam, ſobriam, innocuam, cuius ad exemplum, magnates, populuſque mores conuertat. Veſtros mores imitetur aula. aula, inquam, Chriſtiana, virtutum officina, regum cõmendatrix, quam niſi ſeueritate perpetua, atque æquabili cõtinetis, vobis infamiam pariet, populo pudorem detrahet. Aula facilis in luxum, ſegnis ad virtutem. Sanctos Principum mores lentè imitantur, ad malos validè impellit. Hæc domus veſtra eſt, cuius innocentiam niſi accuratis, in regno rectè adminiſtrando, non magno profectu ſudabitis.

Ante omnia Deum amate, ab eo initia, progreſſum, exitum rerum expectate, per eum reges regnant. Hinc pia, tuta, ſolida, efficacia conſilia ducetis. Iam vobis valedico, dilectiſsimi filij: non in longum tempus: breue eſt, quicquid æui vobis ſupereſt. Præeo, ſequimini.

FINIS.

1009752